Gramberg Genesis.

W. Henry Green
1872

LIBRI

GENESEOS

SECUNDUM

FONTES RITE DIGNOSCENDOS

ADUMBRATIO NOVA.

IN USUM PRAELECTIONUM

SCRIPSIT

Dr. C. P. W. GRAMBERG,

SUPERIORUM IN PAEDAGOGIO REGIO ZULLICHAV. ORDINUM PRAECEPTOR.

LIPSIAE,

SUMPTIBUS IOANN. AUG. GOTTL. WEIGELII.

MDCCCXXVIII.

PRAEFATIO.

Post varios, quos hic enarrare longum est, casus in lucem prodit haec dissertatio, ante annum fere exarata, quam ut editam cuperem duplex me adegit ratio, quarum *prior* theologos spectat, vel in academiis vel in gymnasiis super libro *Geneseos* scholas habentes, *posterior* me ipsum meosque in re literaria conatus. Quod ad *priorem* attinet, spero fore, ut, quibus doctoribus sententiam meam de libri Geneseos singulis capitibus rite dispescendis atque inter se coniungendis persuaserim, ii hoc libello tanquam *schemate* uti possent, etiam discipulorum manibus tradendo, secundum quod exegesin huius libri ita tractarent, ut vel leviusculis mutationibus ex sententia sua additis, magna parte earum rerum praecipiendarum supersederent, quae alias de argumento singularum partium, atque de ratione, qua sese excipiunt, sunt dicendae, qua quidem re haud parum temporis atque laboris salvari poterit, ad explicationem grammaticae copiosiorem non sine magno commodo adhibendum. *Altera* illa quam dicebam ratio in eo

est posita, ut meam qualemcunque artem exegeticam et criticam ita lectoribus commendarem, ut, si modo viri huius rei periti aequum de hoc libello iudicium tulerint faustaque conatibus meis applausu suo omina dederint, satis audaciae in animo conciperem ad reliqua illa, quae in scriniis latent, ad exegesin Veteris Testamenti pertinentia in lucem emittenda, in quorum numero mihi praecipue curae cordique est *Commentarius historico-grammatico-criticus in Pentateuchi libros omnes*, vel lingua latina vel vernacula, quaecumque potissimum viris doctis placuerit, publici iuris faciendus. Hac enim via, quae unica mihi patet, incedenti forsitan contingere posset, ut, quod summum cupio, ad doctorum virorum consortium et bibliothecarum publicarum usum, a quibus tam amplo spatio remotus delitesco, propius accederem, et in literis quas summo amore amplector ulterius progrederer.

Dabam Zullichaviae,
mense Aug. MDCCCXXVII.

C. P. W. Gramberg.

DE TRIBUS LIBRI GENESEOS AUCTORIBUS.

§. 1.

Instituti ratio.

Post excussam illam opinionem, ab antiquioribus temere captam, exegesin librorum sacrorum dogmatices eius, quam varii Christianorum coetus tuebantur, esse ancillam, cui nullo modo liceat a legibus dominae, de librorum sacrorum auctoribus atque antiquitate temere statuentis, recedere, et post explicationem illam unice veram, quam grammatico-historicam vocant, sacris etiam et Vet. et N. T. libris vindicatam, qua alias non uti solebant, nisi in auctoribus, qui parum honeste *profani* audiebant, explicandis, varii, ut inter viros doctos constat, variorum virorum, de re literaria optime meritorum, prodierunt conatus, non modo Pentateuchi auctorem et originem, sed consilium etiam et rationem in conscribendo hoc libro adhibita investigandi. Fere omnes hi viri in eo consenserunt: Pentateuchum et praecipue librum Geneseos e libris antiquioribus a compilatore quodam temporis serioris esse conscriptos; sed neque convenit inter eos, quot quantique singuli libri antiquiores (quos, si venia est verbo, *tabulas originarias* [*Urschriften*] nominabimus) sint sumendi, nec num genuini atque non fucati a compilatore sint compositi, nec ne. Singulas vero singulorum in exarando novo Pentateuchi commentario sententias perpendenti, nulla earum ab

omnibus difficultatibus ita prorsus liberari mihi posse videbatur, ut reliquis reiectis unicam amplectendam putarem; sed nova quaedam sententia, praesertim de libri Geneseos compositione, inter legendum atque explicandum sese mihi obtulit, quam, qualiscunque sit, virorum doctorum, iudicum de hac re cum peritissimorum tum aequissimorum, iudicio submittere operae pretium puto, cum quam certissime mihi sit persuasum, nullo alio modo nisi perscrutationibus iterum iterumque repetitis hanc rem, Pentateuchum explicaturis gravissimam, ad persuasionem veri propius adduci posse. Aptius rectiusque autem haec disputatio institui mihi videtur, si non tam aliorum, virorum praesertim, quos ex intimo corde mecum colunt docti, sententias impugno, quam meas profero atque defendo, postquam, cur inter eos nemo sit, cuius sententia ex omni parte problemati solvendo satisfecisse mihi videatur, paucis exposuero. Hos igitur, omissis reliquis, qui vel nulla re excepta calculum iis adiiciunt, vel singulas partes eodem modo tractarunt, Buttmannum dico, Otmarum, Schusterum, Vitringam, cett., praecipuos nomino de hac re disputatores.

Astrucquius (Conjectures sur les mémoires originaux, dont il paroit que Moyse s'est servi pour composer le livre de la Genèse, avec des remarques, qui appuyent et qui éclaircissent ces Conjectures, par Astruc, Brux. 1753.) maiorem quidem libri Geneseos partem dividit inter duas illas tabulas originarias, quas nomine יהוה et אלהים insignes docet, (mémoire de יהוה et de אלהים), loca vero Genes. VII, 20. 23. 24. — XIV. — XIX, 29—38. XXII, 20—24. — XXV, 12—18. — XXVI, 34. 35. — XXVIII, 6—9. — XXXIV. — XXXV, 28. 29. XXXVI, 1—21 et 31—43. XXXVI, 22—30. singula e decem tabulis variis collecta esse contendit. Quibus autem rationibus inducti reliqua capita duabus illis tabulis originariis tribuimus, eaedem illae luculenter demonstrant, etiam haec loca similiter esse distribuenda.

Ilgenius (*Urkunden des ersten Buchs Mose in ihrer Urgestalt, aus dem Hebräischen mit kritischen Anmerkungen und Nachweisungen, auch einer Abhandlung über die Trennung der Urkunden. Halle* 1798.) tres facit tabulas originarias, ex quibus vult compilatorem librum suum, vel huius vel illius verbis usum, ad literam conscripsisse. Tres igitur sumit auctores, quos, si venia verbo est, *originarios* (*Urschriftsteller*) dixeris, quosque ex eius sententia exemploque *Elohistam* priorem et posteriorem atque *Iehovistam* vocabimus; singulis vero singulas partes libri Geneseos, qualis nunc est, ita dispertit, ut singulae saepe narrationes non dividantur sed lacerentur in minutissima frustula, cuius rei exemplum afferre liceat cap. Gen. XXX, quod sic V. Cl. dissecandum censet:

Elohista prior.	Elohista posterior.	Iehovista.
v. 1 ex parte	v. 1 ex parte	
— 4.	— 2. 3.	
— 5 ex p.	— 5 ex p.	
— 6 e. p.	— 6 e. p.	
— 7 e. p.	— 7 e. p.	
— 8 e. p.	— 8. e. p.	
— 9. 10.		
— 11 ex parte	— 11 ex parte	
— 12.		
— 13 e. p.	— 13 e. p.	
		v. 14—16.
— 17 e. p.	— 17 e. p.	
— 18 e. p.	— 18 e. p.	
— 19 e. p.	— 19 e. p.	
— 20 e. p.	— 20 e. p.	
— 21.		
— 22 e. p.	— 22 e. p.	
— 23 e. p.	— 23 e. p.	
— 24 e. p.		v. 24 e. p.
		v. 25.

Elohista prior.	Elohista posterior.	Iehovista.
	v. 26.	
	— 27 ex parte	v. 27 ex p.
		— 28—34.
	— 35 e. p.	— 35 e. p.
		— 36 - 38.
	v. 39. e. p.	— 39 e. p.
	v. 40 e. p.	— 40 e. p.
		— 41—43.

Has vero, quas Ilgenius e. g. Iehovistae tribuit, partes si quis inter se iungere vellet, orationem apte contextam et bene sanam minime esse effecturas, quis est qui non videat? Missam igitur facimus hanc tantam viri doctissimi ἀκρίβειαν, ne prorsus lacera emoriatur totius libri narratio, quam tantum non in omnibus capitibus simili more distrahit.

Eichhornius in editione quarta libri sui: *Einleitung ins Alte Testament* (Gotting. ap. Rosenbusch, 1823, T. III, pag. 1—146, §. 405—418), quam in prioribus protulerat editionibus sententiam, eandem iisdem fere defendit verbis, hanc scilicet, omnes totius libri Geneseos narrationes, genealogias cett. a duobus auctoribus originariis esse profectas, et a tertio quodam, post addita nonnulla, quae tertiae cuidam tabulae (*Urkunde*) debeamus (Cap. 2, 1—3, 24; cap. 14; cap. 33, 18—34, 31; cap. 36; cap. 48, 1—27), in unum corpus, ad literam omnibus verbis servatis, contextas. Discrimen vero duarum illarum, quas praecipuas nominat tabularum, cum Ilgenio in usu diversorum nominum יהוה et אלהים fere *unicum* ponit, quod Vaterus (Comment. in Pentat. P. III, p. 714) merito vituperasse nobis videtur; nec minus recte monet Vaterus (l. c. p. 716.), ab Eichhornio V. Cl. usum variarum tabularum loquendi inter se diversum tantum in narratione de diluvio (Genes. 6—9.) esse monstratum. Tria igitur sunt haec, quae Eichhornii errores fugienda nos docent, ut ad veri similitudinem

propius accedamus: 1) ne tabulis originariis singula verba adnumeremus, et ne compilatori quod eius vere est detrahamus; 2) ne in unico diversitatis κριτηρίῳ de nominibus יהוה et אלהים haereamus, sed alia quaeramus vel huic vel illi tabulae propria; 3) ne phrasium diversitatem monstraturi in capitibus Genes. 6—9. subsistamus, sed omnem librum a capite ad calcem perlustremus. Quae omnia si satis accurate fecerimus, singularum partium inter duas tabulas distributio, in qua cum Eichhornio saepius quam cum reliquis consentimus, argumentis a Vatero allatis redargui non poterit.

Vaterus (*Commentar über den Pentateuch*; Tom. III, Hal. 1805. p. 393—728. *Anhang einer Abhandlung über Moses und die Verfasser des Pentateuchs*) post refutatas virorum modo laudatorum sententias, contendit: Pentateuchum, et Genesin quidem non minus quam reliquos quatuor libros, a compluribus varii temporis auctoribus esse profectum, maximeque dubitandum, num unus tantum collector toti libro eam, quam nunc habet, formam induerit; in specie autem Genesin non ex duabus tabulis ad literam iunctis esse conglutinatam, sed ex multis variisque variorum auctorum schedis per unum quendam compilatorem collectam, ita tamen, ut singula fragmenta inter se necteret, vel e suis vel e traditione huc illuc quae apta viderentur adderet, verba etiam vocesque nonnumquam mutaret. Postremum hoc non possumus quin laudemus, cum virum illum, cui libri Geneseos compositio, non raro maxima cum solertia disposita, debetur, fingere nobis minime possimus scribae more quae in schedis priscis leguntur religiose quidem sed satis incogitanter describentem. Multo minus autem in eo sequemur Vaterum, quod non agnoscit vincula illa satis arcta, quibus singula capita vel tabulae יהוה (*Iehova - Urkunde*) vel tabulae אלהים (*Elohim - Urkunde*) inter se cohaerent, minimeque putamus, omnem librum Geneseos, uti ille vult, in permulta incertorum aucto-

rum fragmenta, quorum nexus nusquam recte possit demonstrari, esse distrahendum.

Ewaldus (*Die Composition der Genesis, kritisch untersucht von Dr. H. A. Ewald, Braunschw. b. Ludw. Lucius*, 1823) quanquam speciem prae se fert critici disquisitionem totam in examen denuo vocaturi, pauca tamen affert, quae ad rem nostram pertinent, cum omnem librum Geneseos a capite ad calcem usque ab uno eodemque auctore profectum esse velit. Non autem quocum pugnemus eum excitamus, sed quia ille etiam veri quid vidit, quam ob rem suae laudis non expertem esse aequum videtur. Satis luculenter enim monstrat, voces יהוה et אלהים pro criterio satis firmo haberi non posse, quo argumento utamur ad singula libri Geneseos fragmenta dignoscenda. Contra errorem, alia occasione oblata accuratius refutandum, contendentis, ab uno eodemque auctore modo nomen יהוה modo אלהים fuisse scribendum, et prius quidem, ubi de Israëlitis, Iehovae cultoribus, sermo sit, vel ubi Israëlitae cum Israëlitis colloquantur, posterius, ubi de paganis, idolorum (τῶν אלהים) cultoribus, sermo sit vel ab iis verba fiant, hic nominasse satis putamus haec loca: Genes. 13, 13., ubi incolae Sodomorum nominantur חַטָּאִים לַיהוָה, quamquam Iehovam colere non solent; Genes. 22, 6., ubi Abrahamus cum Isaaco colloquens, Genes. 27, 28. Isaacus cum Iacobo colloquens, Genes. 33, 5. 11. Iacobus cum Esavo, Genes. 48, 9. 21. Iosephus cum Iacobo, Genes. 50, 24. 25. Iosephus cum fratribus colloquentes voce אלהים utuntur. Facile autem ab Ewaldo edoceri nos patimur, praeter vocum יהוה et אלהים vices alia diversitatis argumenta esse quaerenda.

§. 2.

Tabularum duarum originariarum schema.

Haec iam nostra est de libri Geneseos compositione sententia, per hanc dissertationem defendenda: Omnis

hic liber, qualis nunc est, pro maxima parte constat e *duabus tabulis originariis* (1), a compilatore quodam ita in unum corpus conflatis, ut non singula verba verbis annecteret, sed ut tantum non ubique narrationes continuas, quales invenerat, tales servaret, dein vel e suis vel e traditione huc illuc apta adderet, quae in libris illis antiquioribus non satis sibi constarent exaequaret atque mutaret, nonnumquam etiam in una eademque narratione tradenda utramque tabulam originariam, alteram alteri iunctam, auctorem sequeretur. Ad tabulas illas designandas, ad quas accuratius dignoscendas posterius criteria complura afferemus, non inepte utemur nominibus illis יהוה et אלהים, quemadmodum fecerunt auctores, quos supra laudavimus, quos quesequemur in nominibus „*Iehovista*“ et „*Elohista*“ tabularum originariarum auctoribus tribuendis; rationem vero, qua singulas libri Geneseos partes vel Elohistae vel Iehovistae vel compilatori distribuendas putamus, in universum per schema subsequens indicabimus, de singulis infra fusius disputaturi.

Elohista.	Compilator.	Iehovista.
I, 1 — II, 3.	(Eichh. II, 4 — III, 24. additamentum.)	II, 4 — III, 24.
V, 1 — 32.		IV, 1—26.
(Eichh. VI, 4.)		(Eichh. V, 29.)
VI, 9—22.		VI, 1—8.
VII. 11— VIII, 19.		VII, 1-9 (10)
IX, 1—17.		(Eichh. VII, 10.16.17. 19. 23.)
	X, 1 — 32.	
		VIII, 20—22.
		IX, 18 — 29.
		(Eichh. X, 1—32)

---

1) Huius vocis, sicut aliarum illarum: *Elohista*, *Iehovista* cett. adhibendarum veniam iterum iterumque petimus. Redolent quidem barbariem, ut pro re nostra demum effictae, neque tamen ad sententiam luculenter simul et breviter enuntiandam iis carere poteramus.

Elohista.	Compilator.	Iehovista.
		XI, 1—9.
XI, 10—32.		XII, 1—XIII, 18.
	(Eich. XIV additam.)	
		XIV—XVI.
XVII, 1—27.		XVIII, 1—XIX, 28.
(Eichh. XIX, 29—38)	XIX, 29.	XIX, 30-38.
XX, 1—17.	XX, 18.	Eichhorn: XX, 18. XXI, 1. XXI, 33. 34. XXII, 11-19.
	XXI, 1.	
XXI, 2—32.	XXI, 33. 34.	
(Eichh. XXII, 1—10.)	XXII, 1—24 a Iehov. et Eloh. mutuatum.	
XXIII, 1—20.	XXIV incertae orig.	
XXV, 1—11.		Eichh.: XXV, 1—7. —— 12—18.
XXV, 12—18.		
(Eichh. XXV, 7--11) v. 19. 20.	XXV, 19. 20.	XXV, 21-34.
(Eichh. XXVI, 34. 35.)		XXVI, 1-35.
XXVIII, 1—9.		XXVII, 1-46.
(Eichh. XXVIII, 12. 17. 18—22.)		XXVIII, 10—22.
XXIX, 1—35.		(Eichh. XXIX, 1-35.)
XXX, 1—24.		XXX, 25-43.
Eichhorn: XXX, 1—13. —— 17—19. —— 20 dimid. —— 21—24 princip.		Eichh.: XXX, 14—16 — 20 dimid. — 24 fin.-43
XXXI, 17—54.		XXXI, 1—16.
Eichh.: XXXI. 2. — 4—48. — 50—54.		Eichh.: XXXI, 1. — , 3. — , 49.

Elohista.	Compilator.	Iehovista.
Eichh. XXXII, 1-33. XXXIII, 1-17.		XXXII, 1-33. XXXIII, 1-16.
XXXIII, 17—XXXIV, 31. Eichh. de hoc fragmento dubitat.		
XXXV, 1—29. XXXVI, 1-43.	Eichh. additam. XXXVI, 1-43.	
(Eichh. XXXVII, 1-36)	XXXVII, 1-36, ab utroque auct. mutuat.	
XXXVIII, 1—30. XXXIX, 1—23.		Eichh. XXXVIII, 1-30. XXXIX, 1-23.
(Eichh. XL, 1—XLVII, 27.)		XL, 1—23. XLI, 1—57.
XLIII et XLIV.		XLII, 1—38.
XLV, 1—XLVI, 27.	XLVI, 8—27 a *compil.* fortasse ex *Eloh.*	XLVI, 28 — XLVII, 12.
		XLVII, 13—26.
XLVII, 27-31.		(Eichh. XLVII, 28—31.)
XLVIII, 1-22.		(Eichh. XLIX, 1—28.)
XLIX, 1-33.	Eichh. addit. XLIX, 1-27.	
(Eichh. XLIX, 29-33) Eichh. L, 12. 13. L, 15—26.	L, 1-26. a *compil.* e duabus *Elohistae* narratt. compos.	Eichh. L, 1-12. L, 14.

Quatenus per brevitatis studium licuit, in parenthesi adpinximus Eichhornii sententiam, ubi a nostra differt, ut, quid inter eam nostramque potissimum intersit, uno obtutu possit perspici. Hoc praesertim ubi Viri Cl. relinquimus dispositionem quaerendum nobis putamus, ut quam minime narrationes una oratione contextae discerpantur, de singulis vocibus, quae facilius compilatori, varia coniungenti,

quam auctori alteri tribuentur, minus anxii, quam qui ante nos de hac re disputaverunt viri doctissimi.

Nunc ad criteria, quibus duas illas tabulas originarias, vocibus יהוה et אלהים insignes, dignosci posse putamus, conversis haec monenda videntur:

1) Non prorsus reiicimus argumentum illud a vocibus יהוה et אלהים vel huic vel illi auctori tabularum veterum propriis repetitum; at non putamus, singula commata, in quibus e. g. אלהים legitur, ubicumque esse resecanda a reliquo contextu, qui voce יהוה utitur, et vice versa; sed huiusmodi mutationes non immerito saepe compilatori tribui posse.

2) Compilator in principio libri sui componendi religiosius verba tabularum veterum servasse videtur, quam sub finem, ita quidem, ut primum modo hunc modo illum auctorem ad verbum fere sequeretur, postea vero, cum et ipse scribere didicerit, modo eandem narrationem ex duobus auctoribus coniunctis hauriret (cap. 22 et 37), modo stylum originis ita mutaret, ut magis compilatori quam fonti sit tribuendus (cap. 24), modo denique diversorum auctorum narrationes ita coniungeret, ut primo obtutu una videri possit, e. g. in historia Iosephi per complura capita.

3) Qui igitur singulos auctores discernere velint, multo magis criteria interna respiciant necesse est quam externa, h. e. magis argumentum atque indolem narrationis quam voces ac formulas. Breviter itaque *primum* locis probantibus pro exemplo tantum nominatis, nec iis ad unum omnibus, indicem τῶν κριτηρίων delineabimus, *deinde* quid de singulis capitibus, secundum argumentum per sectiones comprehensis, statuamus, accuratius indicabimus.

§. 3.

Criteria Elohistae s. tabulae, nomine אלהים *insignis.*

1) Elohista *tautologiam* amat et nimiam verborum copiam, cf. Genes. 9, 1—17.; cap. 17; 19, 29; cap. 20,

6 sqq. cap. 21, 3 sqq. cap. 22, 1—10; cap. 23; cap. 28, 5. 6. cett.; cap. 31, 17 sqq. cap. 34; cap. 37 (ex parte); cap. 39; cap. 44.

2) In narrationibus illis mythicis, quae ab Elohista solo traduntur, *instituta* temporum seriorum saepissime si non deo ipsi auctori, antiquissimorum tamen temporum hominibus tribuuntur, e. g. sabbathum, Genes. 1; caedis ultio cap. 9; circumcisio cap. 17. (cf. cap. 21, 4; cap. 34); idolorum imagines removendae cap. 35, 2; libationes cap. 35, 14; coniugium cum leviro post maritum mortuum ineundum cap. 38; Ephraim et Manasse non unam gentem sed duas efficientes cap. 48.

3) Elohista Deum facit foedus cum hominibus ineuntem, signo quod sub sensus cadit addito, quo huius foederis homines sint memores; Genes. 9, 1—17 in foedere cum Noacho signum est arcus coelestis; Genes. 17 in foedere cum Abrahamo autem circumcisio. Prorsus aliter se res habet apud Iehovistam, qui Genes. 15 Iehovam narrat cum Abrahamo more humano per sacrificium foedus ferientem.

4) *E phrasibus*, Elohistae soli propriis, has tantum notatu dignissimas nominamus: אֵל שַׁדַּי *Deus omnipotens*, Genes. 17, 1. — 28, 3. — 35, 11. — 48, 3. — 49, 25. פַּדַּן אֲרָם *Mesopotamia*, Genes. 25, 20. — 28, 2. — 31, 18. — 33, 18. — 35, 9. 26. — 48, 7. זָכָר וּנְקֵבָה *mas et femina*, s. זָכָר *mas*, Genes. 1, 27. — 5, 2. — 6, 19. — 17, 10. — 34, 15. פָּרָה וְרָבָה *fetificare et augeri*, Genes. 1, 22. 28. — 8, 17. — 9, 1. 7. — 35, 11. — 47, 27.

5) Ubi de *prole Abrahami* et posteris eius augendis apud Elohistam sermo est, de regibus (מְלָכִים) e visceribus (מֵעִים) Abrahami, Isaaci, Sarae oriundis, de turba gentium (הֲמוֹן גּוֹיִם) seu de magno populo (גּוֹי גָּדוֹל) auctor noster dicit, hisque et similibus semper utitur phrasibus, cf. Genes. 17, 2—6. 16; cap. 28, 3; — 35,

11; — 47, 27; — 48, 3. 4. Prorsus aliter Iehovista (cf. infra §. 4, 3.) hanc rem tractat.

6) Indolem si spectas *nominum* apud utrumque auctorem vel hominibus vel rebus propriorum, Elohista haec *a*) *vel* aptius explicat, ita quidem, ut non mirabilia, sed humana atque solita narret, v. c. אַבְרָהָם et שָׂרָה Genes. 17, 5. 15; גַּלְעֵד Genes. 31, 47; מַחֲנַיִם Genes. 32, 2; אָבֵל מִצְרַיִם Genes. 50, 11; *b*) *vel* noster, ubi duplex eiusdem nominis indigitatur etymologia, ab alterius auctoris suam explicationem satis discernit, v. יִשְׁמָעֵאל Genes. 21, 17. (cf. Iehovistam Genes. 16, 11); יִצְחָק Genes. 17, 17 et melius 21, 7 (cf. *Ieh.* Genes. 18, 12); בְּאֵר שֶׁבַע Gen. 21, 31 (cf. *Ieh.* cap. 26, 33); בֵּית אֵל Genes. 35, 15 (cf. *Ieh.* cap. 28, 19); יִשְׂרָאֵל Genes. 35, 10 (cf. *Ieh.* cap. 32, 28). *c*) voce יִשְׂרָאֵל vel ad Iacobum ipsum vel ad posteros eius designandos Elohista solus utitur, Iehovista vero numquam, si vel unicum locum excipis Genes. 46, 29. 30, a compilatore procul dubio mutatum; haec vero sunt loca Elohistae: Genes. 34, 7. — 35, 10 sqq. — 35, 22. — 37, 3. 13. — 43, 5. 8. — 45, 21. 27. 46, 1. — 47, 27. 29. 31. — 48, 20. — 49, 2. — 50, 2. 25.

Omittimus hic locum Genes. 29, 32 — 30, 24, quem quidem omnem ab Elohista profectum putamus, cum prorsus eodem modo in principio quam in fine filii Iacobi enumerentur, non tamen auctori nostro soli tribuere audemus, quia in oratione cum hac contexta (cap. 29, 31 et 30, 24) vox יהוה legitur, ita ut aliquam compilatoris mutationem suspicari quis possit.

§. 4.

Criteria Iehovistae, seu tabulae nomine יהוה *insignis.*

1) Iehovista anthropopathismum atque anthropomorphismum quos dicunt in numine divino describendo magis fovet, quam Elohista, cf. Genes. 3, 22. — 7, 16. — 8, 20. — 11, 5 sqq. — 15. — 18. — 28, 13 sqq. — 32.

2) Iehovista mira amat atque insolita, Genes. 2, 7 sqq. — 6, 1—8. — cap. 16. — cap. 30, 25 sqq. — 31, 3. — cap. 40 et 41.

3) Iehovista saepe repetit praedictiones illas, quas messianas vocant; sed quamquam in re cum Elohista fere consentiat, magnopere tamen differt in verbis (cf. §. 3, 5): dicit enim de Abrahami prole, per multitudinem stellarum coelestium atque arenae marinae copiam referente, de salute omnium populorum per Abrahamidas promovenda, et similia; cf. Genes. 12, 3. — 13, 14. — 15, 5 sqq. — (16, 10). — 18, 18. — 22, 17. — 26, 1 sqq. — 28, 13. 14. (32, 13. — 41, 49).

4) Indolem si spectas *nominum* hominibus rebusque propriorum, Iehovista *a*) *nominibus* favet mythicis, ex eventu a se effícto additis, v. c. אָדָם Genes. 2, 7; חַוָּה cap. 3, 20; קַיִן et הֶבֶל cap. 4, 1. 2. נוֹד cap. 4, 14. 16. (נֹחַ, Genes. 5, 29, dubium, cf. §. 8); בְּאֵר לַחַי רֹאִי Genes. 16, 14; פְּנִיאֵל s. פְּנוּאֵל Genes. 32, 20. *b*) *cum* nominibus explicandis nonnunquam coniungit mythos, qui invidiam produnt populorum Israëlitis infestorum, v. c. בָּבֶל Genes. XI, 9; מוֹאָב et עַמּוֹן cap. 19, 37. 38; עֵשָׂו et אֱדוֹם cap. 25, 25 sqq., quam quidem invidiam alio etiam modo non minus monstrat, cf. Genes. 9, 25 כְּנַעַן; Genes. 26, 20 sqq. in Philistaeos; Genes. 26, 34. 35. in Chithitas, — quam studium, Iacobum tanquam victorem fratris astutissimum laudandum in duplici explicatione nominis יַעֲקֹב Genes. 25, 26 et cap. 27, 36. c) ubi plures unius eiusdemque nominis leguntur explicationes, Iehovista suas minus aptas sed magis miras facit quam Elohista: cf. Genes. 18, 12. יִצְחָק cum cap. 17, 17 et 21, 7; — Genes. 26, 33. בְּאֵר שֶׁבַע cum cap. 21, 31; — Genes. 28, 19. בֵּית אֵל cum cap. 35, 15; — Genes. 32, 28. יִשְׂרָאֵל cum Genes. 35, 10; — Genes. 16, 11. יִשְׁמָעֵאל cum cap. 21, 17.

5) Anthropomorphismis Iehovistae forsitan adnumeranda est phrasis יְהוָה נִרְאָה אֵלַי *Iehova mihi appa-*

ruit, quae huic propria esse videtur, cf. Genes. 12, 1—9; — 13, 14; — cap. 15; — 26, 2; sed cap. 17, 1. potius compilatori hanc phrasin tribuere malimus.

§. 5.

De compilatore.

Ad compilatorem denique conversi, qui librum Geneseos talem nobis tradidit, qualem nunc habemus, paucis tantum quid huic sit tribuendum indicare possumus, cum in oratione contexta legenda clarius demum eluceat, quomodo utriusque auctoris originarii narrationes vel inter se iunxerit, vel e duabus satis consentientibus unam fecerit, vel denique quae invenerat breviora verborum maiore copia instruxerit.

1) Nulli dubitamus, quin compilatori tribuendae sint formulae illae frequentes, quibus singulae partes vel inter se coniunguntur vel discernuntur, v. c. אֵלֶּה תּוֹלְדוֹת, וַיְהִי — אַחַר הַדְּבָרִים הָאֵלֶּה — cett.; cf. Genes. 2, 4. — 9, 18. — 10, 1. 6. 20. 31. 32; — 11, 27; — 15, 1; — 22, 1. 20; — 25, 12. 19. — 36, 1. 9. 15. 20. 31. 40; — 37, 1. 2; — 38, 1; — 40, 1; — 41, 1; — 46, 8. 26. 27; — 49, 28.

2) Compilator maximam quidem partem auctorum quos sequitur verba satis religiose descripsit; in iis autem, quae mutat, prae ceteris notatu digna est non exigua locorum copia, ubi pro voce יהוה, ab auctore originario in reliquo contextu adhibita, ex ingenio suo inserit vocem אלהים, et vice versa vocem יהוה, ubi אלהים exspectares. Sic legitur אלהים Genes. 7, 9; יהוה Genes. 17, 1; יהוה Genes. 21, 1. 33; האלהים Genes. 27, 28; אלהים Genes. 28, 20; אלהים Genes. 33, 5; יהוה Genes. 38, 7; יהוה Genes. 49, 18.

3) Nonnumquam vel glossis non satis aptis additis, vel orationem breviorem in copiosiorem mutando, sua inserit iis, quae ab auctoribus originariis sunt profecta;

cf. Genes. 7, 21. — 9, 11. — 17, 17. — 18, 11. (cf. 24, 1.) 19, 29. — 24, 50. — 25, 18. — 26, 4.

4) A duobus illis quos sequitur auctoribus compilator non tantum facile discernitur, e. g. fragmentum Genes. 21, 22—34 per narrationem Genes. 21, 1—21 secernens ab eo, quocum illud quam arctissime cohaeret, Genes. 20, 1—18 dico, sed ibidem etiam (Genes. 21, 32.) ineptam addit glossam, quam in libro vetusto invenisse vix putari potest. Nihilo minus tamen curat nonnumquam sedulo, ut ex duabus narrationibus priscis sua in unum quasi corpus coalescat, vel ex altera in alteram repente transeundo (cf. Genes. 22, 11 sqq. cap. 37, 28 sqq.), vel singula verba mutando seu e praecedentibus succedentibusve addendo, cf. Genes. 30, 23. 24. cap. 31, 16. — 39, 1.

Non supervacaneum putamus, iterum monere, nos non singulas quasque voces libri Geneseos post tot saecula praeterlapsa suis auctoribus reddere, atque vel tabulam יהוה vel tabulam אלהים vel additamenta compilatoris in integrum restituere conari. Sed quam certissime nobis est persuasum:

1) tribus auctoribus librum Geneseos, qualis nunc est, deberi;

2) tantum non omnibus in locis gravioribus, quid cuique tribuendum sit, demonstrari posse;

3) haec autem, quae adhuc de tribus his auctoribus ὑποθετικῶς magis statuimus quam vere docuimus, per singulorum capitum, ad quae iam progredimur, brevem explicationem argumentis satis firmis posse fulciri.

§. 6.

Mythus duplex de creatione.

Sectio 1.

Genes. I, 1 — *II*, 3. אלהים. Poëta post chaos antiquum a Deo, per sex dies operante, coelum et terram

et omnia quae in iis sunt creata esse narrat, denique ad creationem hominis descendit, his verbis v. 26.: Deus vero: Faciamus homines, inquit, secundum effigiem et similitudinem nostram, (בְּצַלְמֵנוּ כִּדְמוּתֵנוּ) qui imperent piscibus maris, avibus coeli, et feris, quae terram totam incolunt, et vermibus, qui reptant in terra; v. 27: Et creavit Deus hominem secundum effigiem suam, secundum similitudinem Dei creavit eum, marem et feminam creavit eos (זָכָר וּנְקֵבָה בָּרָא אֹתָם); v. 28: Et Deus bene dixit iis, dixitque illis Deus: Fetificate, multiplicamini (פְּרוּ וּרְבוּ) et replete terram et subigite eam, cett.; v. 29: En ego vobis trado omnes herbas, quae sunt in omni terrae solo frugiferae, omnesque arboreo fetu praeditas arbores, semen parientes, quibus ad vos alendos utamini. — Deus hic semper vocatur אֱלֹהִים, et Elohistam auctorem non modo produnt voces, quas notavimus, huic propriae (cf. §. 3, 4.), sed etiam tautologia et nimia in dicendo verborum copia (cf. §. 3, 1.); quibus rebus denique adnumerari potest, quod ex poëtae nostri sententia Deus ipse per diem septimum quieti dicatum instituit *sabbathum* (cf. §. 3, 2). In hac sententia Astruc et Eichhorn nobiscum faciunt, Ilgen vero partem aliquam commatis 5 et 8 atque commata 13. 19. 23. 31. capitis primi, denique com. 2. 3. capitis secundi Elohistae suo posteriori, quae supersunt, Elohistae priori tribuit.

Sectio 2.

Genes. II, 4—25. יְהוָה. Alter poëta nihil dicit de mundo creato, sed terram pingit nondum virentem, quia Iehova nondum demiserat imbres de coelo, neque homo aderat, qui terram coleret. Facile autem discernitur haec narratio a priore, cum haec dicat noster v. 7: Formavit autem Deus Iehova hominem e terrae pulvere (וַיִּיצֶר יְהוָה אֱלֹהִים אֶת־הָאָדָם עָפָר מִן־הָאֲדָמָה) spiritumque vitalem naribus eius inspiravit, ita ut homo anima viva evaderet; v. 8. et plantavit Deus Iehova hortum in regione Eden, versus orientem, eoque collocavit hominem, quem

finxerat. Deinde Iehovae non convenire videtur, quod homo solus sit; animalia omnia fingit e terra (v. 18. 19.), ex quibus tamen homo consortem sui similem eligere nequit. Pergit igitur poëta v. 21: Deus Iehova arctissimo sopore hominem sopivit, sumsitque unam ex eius costis, cuius locum carne clausit (v. 22), eamque costam ita formavit, ut femina esset (וַיִּבֶן אֶת־הַצֵּלָע אֲשֶׁר לָקַח מִן־הָאָדָם לְאִשָּׁה), quam ad hominem deduxit. Non par igitur hominum hic simul creatur, uti in narratione priore, sed post virum femina ex eius costa. Deus quidem hic non יהוה nominatur, sed יהוה אלהים; at anthropomorphismi, quibus auctor favet, eundem esse Iehovistam luculenter demonstrant, qui postea Deum יהוה vocat. Astruc nobiscum consentit; Eichhorn hanc sectionem additamentum putat incerti auctoris; Ilgen comma 4 inter utrumque Elohistam dispertit, v. 5—25 priori tribuit.

§. 7.

De primo peccato primaque caede mythi.

Sectio 3.

Genes. III, 1—24. יְהוָֹה. Arctissimo vinculo cum proxima cohaeret haec eiusdem auctoris narratio, ad quam statim v. 1 progreditur, de serpente, versutissimo omnium animalium, quae Deus Iehova creaverat (וְהַנָּחָשׁ הָיָה עָרוּם מִכֹּל־חַיַּת הַשָּׂדֶה); quo consultore femina inducitur ad mandata Iehovae spernenda. Cum autem ambo, pergit, et femina et maritus eius, fructum vetitum gustavissent (v. 7), oculi eorum aperti sunt, et viderunt, se nudos esse, quod antea (cap. 2, 25) non intellexerant. Ut omittam mirum illud auctoris nostri de serpente cum femina colloquente commentum (cf. supra §. 4, 2), in fine narrationis anthropopathismus, quo Iehovam facit hominibus vitam immortalem invidentem, v. 22: Ne forte manum etiam admoveat arbori vitali, edatque et

vivat in sempiternum cett. eum Iehovistam esse aperte prodit. ASTRUC eandem nostram tuetur sententiam; ILGEN vero hanc sectionem Elohistae secundi, EICHHORN incerti auctoris additamentum esse censet. Deus hic etiam audit יהוה אלהים et nonnumquam (v. 1. 3. 5) אלהים.

Sectio 4.

Genes. IV, 1—26. יהוה. Quanquam Deo hic tantum nomen יהוה addatur, nemo tamen est qui non intelligat, hanc narrationem cum proxima cohaerere, cum statim v. 2 filii Adami laborent, ad opus faciendum coacti, quia parentes eorum e paradiso, omnia ad victum necessaria sponte porrigente, erant fugati (cap. 3, 17. 24), cumque uxor Adami hic nomen habeat חַוָּה, quod cap. 3, 20 ei datum erat. In commate *primo* non satis apte ab auctore nostro nomen קַיִן (*hasta*, h. e. homo violentus, quod bene quadrat ad fratris percussorem) derivatur a verbo קָנָה; aptius vero fratri eius, tanquam mox morituro, nomen addit הֶבֶל h. e. *halitus*, et regioni, in quam Cainus exsul confugit (v. 16), nomen נוֹד h. e. *fuga*, peregrinatio (cf. §. 4, 4. a). De coniunctione commatum 19—24 cum praecedentibus vix dubitari potest, cum de Caini posteris sermo sit; nec est cur a reliquis commata 25 et 26 recidamus, cum verba: Adamus denuo ex uxore sua filium suscepit *cett.* ad v. 1. 2, et alia illa: Setho *etiam* filius natus est, *cett.* ad progeniem Caini, v. 17 sqq. respiciant. Totum igitur caput Iehovistae tribuimus; ASTRUC nobis calculum addit simul cum EICHHORNIO; ILGEN vero Elohistam suum secundum auctorem eius esse contendit.

§. 8.

Adamitae a Setho ad Noachum usque.

Sectio 5.

Genes. V, 1—32. אלהים. Ut auctori sectionis primae (Genes. I, 1— II, 3) hanc etiam genealogiam my-

thicam tribuamus, minus nobis persuadet nomen הָאֱלֹהִים, quod v. 22 et 24 legitur, quam similitudo, quae inter hanc nostram et primam sectionem intercedit, qua vero simul a secunda, tertia et quarta discernitur. 1) Denuo hic v. 3 incipit series hominum, ab Adamo originem trahentium, per *Sethum*, nulla prorsus Caini et Abelis mentione facta. 2) In hac nostra Sethitarum genealogia nomina nonnulla leguntur, aliis genealogiae Cainitarum supra allatae persimilia, e. g. Genes. 4, 17 חֲנוֹךְ fil. Caini = חֲנוֹךְ cap. 5, 18 fil. Iaredi; Genes. 4, 18 עִירָד fil. τοῦ חֲנוֹךְ = יֶרֶד cap. 5, 15 fil. τοῦ מַהֲלַלְאֵל; — Genes. 4, 18 מְחוּיָאֵל fil. τοῦ עִירָד = מַהֲלַלְאֵל cap. 5, 15 pater τοῦ יֶרֶד; Genes. 4, 18 מְתוּשָׁאֵל fil. τοῦ מְחוּיָאֵל = מְתוּשֶׁלַח cap. 5, 21 fil. τοῦ חֲנוֹךְ *celt.* Utramque igitur genealogiam ab uno eodemque auctore originario profectam esse, quis est qui sibi persuadeat? E traditione vero a diversis compositae per similitudinem nominum sic secum pugnare potuerunt. 3) E sectione prima (cf. Genes. 1, 27, et supra §. 3, 4) auctor has, quae ei propriae sunt, phrases repetit: v. 1 בִּדְמוּת אֱלֹהִים עָשָׂה אֹתוֹ; v. 2 זָכָר וּנְקֵבָה בְּרָאָם; v. 3 וַיּוֹלֶד בִּדְמוּתוֹ כְּצַלְמוֹ. — Nihil igitur Elohista tradit de Eva, ex Adami costa confecta, nil de lapsu, quem dicunt, poenisque eius, nil de paradiso atque hominibus inde pulsis, nil de Caino, Abelem interimente, sed homines, per Sethum ex Adamo ortos, sensim depravatos pingit et denique per diluvium punitos. Non contradicimus tamen Eichhornio (*Einleit. T. III, p.* 111, §. 416) comma 29 Iehovistae vindicanti; sed minus calculum ei addendum putamus, quia ibi nomen יהוה legitur, quam quia verba: Ille solatium nobis afferet de aerumnis nostris atque laboribus manuum nostrarum (וּמֵעִצְּבוֹן יָדֵינוּ) quos terra nobis exhibet, cui maledixit Iehova (אֲשֶׁר אֵרְרָהּ יְהוָֹה) — referenda sunt ad mythum Iehovistae et ad verba quae legimus Genes. III, 16 עִצְּבוֹנֵךְ; 17 אֲרוּרָה הָאֲדָמָה בַּעֲבוּרֶךָ. Compilator hoc comma e parte aliqua tabulae יהוה, quam omisit, hic

addere potuit. Reliquum caput quintum Eichhornius Elohistae esse contendit, Astruc ei adstipulatur, et Ilgen Elohistam suum priorem huius sectionis auctorem facit.

§. 9.

De diluvio mythus duplex.

In mytho illo celeberrimo de diluvio Noachi pingendo compilator utriusque tabulae originariae narrationes ita coniunxit, ut primo obtutu unam tantum efficere videantur, partibus modo ex hac modo ex illa desumtis atque alternantibus. Duas igitur faciemus sectiones, *sextae* partes quae Iehovistae, *septimae* quae Elohistae debentur addicturi.

Sectio 6.

Genes. VI, 1—8. יהוה. Optime haec omnia cohaerent, quae narrantur ut palam fiat, quam ob rem Iehova diluvium hominibus depravatis immiserit. Filii Dei, h. e. angeli, de coelo in terram descendentes, connubia ineunt cum filiabus hominum pulcherrimis atque ex iis suscipiunt filios, heroum atque gigantium nomine celebres. Iehova vero cum videret, vitia hominum in terra crescere (v. 5 וְכָל־יֵצֶר מַחְשְׁבוֹת לִבּוֹ רַק רַע כָּל־הַיּוֹם), edixit, se per 120 porro annos haec connubia permittere velle; nisi ad hoc usque tempus finitum resipiscant homines, interitu se eos puniturum. Anthropopathismus et mythus sane mirandus Iehovistam produnt auctorem (cf. supra §. 4, 1. 2), cui igitur omnem hanc narrationem tribuimus, neque cum Eichhornio commata tantum 3. 5. 6. 7. 8, nomine יהוה insignia. Nobiscum facit Astruc, sed Ilgen totum hoc fragmentum Elohistae secundi esse contendit.

Sectio 7.

Genes. 6, 9—22. אלהים. Iam alterum auctorem compilator introducit, eundem etiam causam diluvii, sed prorsus alio modo narrantem. Nihil hic legimus de an-

gelorum coniugiis cum hominum filiabus, nihil de Iehova hanc ob rem irato; sed omne genus hominum Deus statuit perdendum, quia terra repleta est maleficiis, omnesque homines pravitati student. Hanc hominum depravationem Elohista, quae eius est tautologia (cf. supra §. 3, 1) prorsus aliis, ac supra v. 5 alter ille, verbis pingit v. 11. 12. 13. e. g.: וַתִּשָּׁחֵת הָאָרֶץ לִפְנֵי הָאֱלֹהִים וַתִּמָּלֵא הָאָרֶץ חָמָס. Deus igitur, ita pergit noster, Noacho soli propitius, hunc iubet navem s. arcam construere, accuratissime descriptam (v. 14 sqq.), in qua cum omnibus suis vitam perniciei eripere possit, additque v. 19: Omnium animantium tecum in arcam ibunt paria, mas et femina (זָכָר וּנְקֵבָה); v. 20: ex avibus secundum genera earum (לְמִינֵהוּ) et bestiis secundum genera earum (לְמִינָהּ) et vermibus secundum genera eorum (לְמִינֵהוּ) paria (שְׁנַיִם) ad te venient. Redeunt hic voces auctori nostro propriae, זָכָר וּנְקֵבָה, לְמִינֵהוּ cett. e sectione prima (cf. Genes. I, 12 sqq. 27 sqq., et supra §. 3, 4); totum igitur fragmentum optime inter se cohaerens Elohistae merito datur ab Astrucquio, Eichhornio et Ilgenio.

Sectio 8.

Genes. VII, 1—9. (10.) יהוה. Satis caute compilator hoc fragmentum coniunxit cum praecedente; Iehovam enim v. 1 narravit haec Noacho dicentem: Ingredere tu una cum omni tua domo in arcam, quoniam quidem te animadverti omnium huius saeculi (בַּדּוֹר הַזֶּה) hominum iustissimum, quibus verbis simul ad arcam iam constructam et ad laudem cap. 6, 9 virtuti Noachi tributam respexit. Neque tamen ex hac coniunctione argumentari licet, auctorem fragmenti nostri esse eundem ac fragmenti cap. 6, 9—22, sed potius, compilatorem omisisse, quae a Iehovista, forsitan breviora, de arca construenda dicta erant, eumque voce usum esse ex cap. 6, 9 sumta, ut utrumque fragmentum arctius coniungeret. Auctor vero ab auctore fragmenti Genes. 6, 9—22

diversus iam prodit v. 2, ubi Iehova sic pergit: Ex omnibus quadrupedibus mundis septenos tibi sume, marem cum femina (שִׁבְעָה שִׁבְעָה אִישׁ וְאִשְׁתּוֹ); ex omnibus vero, qui mundi non sunt, bina, marem cum femina (שְׁנַיִם אִישׁ וְאִשְׁתּוֹ). Noli vertere: septem paria, quia, si hoc sumeres, etiam vertendum esset שְׁנַיִם *duo paria*, quod genio linguae aperte repugnat. Hic igitur auctor non modo animalia *munda* discernit ab *immundis*, quo instituta levitica in mentem lectoribus revocat, per anthropomorphismum Iehovae tributa, sed priorum etiam septena cuiusque generis animalia, posteriorum tantum bina servari vult, cum apud Elohistam (Genes. 6, 19. 20) Deus bina duntaxat omnium generum in arca recipienda iusserit. Memoratu etiam dignum est, quod v. 5 fragmenti nostri: Et Noachus fecit omnia, quae Iehova ei imperaverat (וַיַּעַשׂ נֹחַ כְּכֹל אֲשֶׁר־צִוָּהוּ יְהוָה), unica tantum voce יהוה excepta ad literam fere repetit comma illud Genes. 6, 22, nisi quod hoc per tautologiam addit: sic fecit (כֵּן עָשָׂה). Non difficulter igitur distinguitur alter auctor ab altero; compilator vero, ut denuo eos iungat, v. 3, ubi pergit Iehova: atque etiam ex avibus coeli septenos sume, marem et feminam, vocibus a Iehovista alias adhibitis אִישׁ וְאִשְׁתּוֹ inserit זָכָר וּנְקֵבָה, quas ab Elohista mutuatus est, et secundum eundem addit v. 9: *Bina* venerunt ad Noachum in arcam, mas et femina (זָכָר וּנְקֵבָה), sicuti *Deus* (אֱלֹהִים) Noacho imperaverat, quod cum reliqua oratione contexta fragmenti nostri denuo aperte pugnat. De commatis 10: Post septem dies aquae diluvii erant in terra — origine a nonnullis dubitatum est; sed non modo cohaerent haec verba cum praecedentibus, quia v. 4 Iehova dixerat: Post septem dies ego imbres immittam terrae *cett.*, sed etiam, quia auctor tabulae יהוה, etiam alias brevior, si ex his verbis augurari aliquid licet, diluvium non tam copiose pinxisse videtur, quam alter ille, quem iam compilator sequi pergit. Astruc cap. VII, 1—5 Iehovistae, v. 6—10 Elohistae tribuit;

Eichhornius, qui totum fragmentum Iehovistae esse contendit, post comma *nonum* e commate 16 addit verba: וַיִּסְגֹּר יְהוָה בַּעֲדוֹ Iehova vero post eum (Noachum) clausit arcam; Ilgen denique v. 1—5 secundo, v. 6. 7 primo, v. 8. 9 et priorem partem com. 10 secundo Elohistae referenda censet.

Sectio 9.

Genes. VII, 11—VIII, 19. אֱלֹהִים. Elohista, quae eius est verborum nimia copia, satis fuse hic etiam describit Noachum cum suis bestiarumque paribus in arcam intrantem, diluvium de coelo aperto descendens atque ex mari profuso surgens, omnes homines pecudesque pereuntes, aquas denique desidentes, et Noachum cum omnibus suis perniciei ereptis ex arca prodeuntem. Facile erit demonstratu, haec omnia eundem nobis narrare poëtam, cui priorem partem sectionis septimae, Genes. 6, 9—22, debemus. Huic enim fragmento nostrum satis apte subiungi posset, nec esset qui hiatum in manuscripto suspicaretur, si post Genes. 6, 22, omisso fragmento Genes. 7, 1—10, pergeret auctor Genes. 7, 11: Anno sexcentesimo Noachi, die secundi mensis decimo septimo, omnes proruperunt oceani magni fontes, et reclusae sunt fenestrae coeli. Qui hoc dicit, idem esse nequit, qui Genes. 7, 6 multo brevius narraverat: Anno Noachi sexcentesimo diluvium aquarum super terra erat; sed eum eundem esse necesse est, qui Genes. 1, 6 sqq. immensam aquarum copiam, inconditam terram tegentium, diviserat in aquas coeli, quae nunc per fenestras coeli apertas delabuntur, et aquas maris, quae nunc, in fontibus abyssi hucusque reconditae, redeunt ad terram inundandam. Repetit etiam auctor voces suas: לְמִינֵהוּ (et synonymum: לְמִשְׁפְּחֹתֵיהֶם, Genes. 8, 19), זָכָר וּנְקֵבָה, שְׁנַיִם שְׁנַיִם (cap. 7, 14. 15. 16), פְּרוּ וּרְבוּ (cap. 8, 17), et per omne fragmentum semper idem est, e. g. cap. 8, 6, ubi fenestrae mentionem facit, quam Deo iubente Noachus (Genes. 6, 16) in superiori parte arcae

fecerat. De tribus illis vocibus v. 16: וַיִּסְגֹּר יְהוָֹה בַּעֲדוֹ non immerito dubitarunt interpretes, et nos etiam has voces per compilatorem e tabula Iehovistae hic insertas esse putamus, magis propter anthropomorphismum Iehovae arcam claudentis, quam quia Deus hic יהוה nominatur. Astruc maiorem quidem huius fragmenti partem Elohistae, sed cap. 7, 11—19. 21. 24 Iehovistae tribuit; Eichhorn cap. 7, 16 ex parte, deinde v. 17. 19. 23 Iehovistae, reliqua Elohistae esse contendit; Ilgen totum fragmentum inter duos Elohistas dividit, singula fere commata modo huic modo illi tribuens.

Genes. VIII, 20—22. יהוה. Noachus Iehovae sacra facit ex quadrupedibus et avibus *mundis* (מִכֹּל־הַבְּהֵמָה הַטְּהוֹרָה וּמִכֹּל־הָעוֹף הַטָּהוֹר), et Iehova, de sacrificii odore suavissimo laetatus (וַיָּרַח יְהוָֹה אֶת־רֵיחַ הַנִּיחֹחַ) promittit, se numquam in posterum terram hominesque esse perditurum, quamquam mala sit hominis indoles a teneris (כִּי יֵצֶר לֵב הָאָדָם רַע מִנְּעֻרָיו). Non eam solam ab causam, quia anthropopathismum offert, (cf. §. 4, 1), hunc locum Iehovistae tribuimus, sed etiam quia phrases repetit, quas supra, cap. VI, 5. VII, 2 apud Iehovistam legimus; non inepte etiam si Genes. 8, 19 cum Genes. 9, 1 coniunxeris, fragmentum nostrum omitti potest, nec ulla lecturis lacunae suspicio orietur. Eichhornius etiam cum Astrucquio totum fragmentum Iehovistae esse contendit, quod Ilgen Elohistae suo secundo tradi iubet.

§. 10.

Noachus et Noachidae primi.

Sectio 10.

Genes. IX, 1—17. אלהים. Non modo optime cohaeret hoc fragmentum cum sectione nona, sed etiam cum aliis ab Elohista repetendis. Deus enim benedicit Noacho filiisque eius iisdem verbis, uti supra (Genes. 1, 28 אלהים): Fetificate et multiplicamini et replete terram, (v. 1. 7. cf. §. 3, 4), et uti supra (Genes. I, 29) omnibus

hominibus herbas dederat pro alimentis, sic iam addit v. 3: Omnia (animalia) moventia, quae vivunt (כָּל־רֶמֶשׂ אֲשֶׁר הוּא חַי), vobis sint alimenta: sicuti *herbas virides* ea vobis trado, — disertis quasi verbis ad prius illud donum respiciens. Cavet vero Deus, ne homines edant animalium sanguinem, qui a poëta vocatur anima carnis (v. 4: אַךְ בָּשָׂר בְּנַפְשׁוֹ דָמוֹ לֹא תֹאכֵלוּ), atque imperat, ut sanguis hominis, qui hominem occiderit, profundatur, h. e. poena atque vindicta de caede patrata sumatur (v. 5. 6), causa simul hac addita: quia Deus secundum *effigiem suam* (cf. supra Genes. I, 27 et V, 1. 3 ap. Eloh.) creaverit. Utrumque igitur veterum, non orientis modo populorum in universum, sed Hebraeorum etiam morem, horrorem dico sanguinis comedendi et vindictam sanguinis effusi, poëta noster, uti solet, (cf. §. 3, 2) Deo tribuit auctori atque iussori; ac de posteriore quidem prorsus aliter sentit, quam auctor alter, qui supra (Genes. 4, 14 sqq.) Cainum facit timentem, ne inveniatur atque interficiatur ab ultore quodam sanguinis a se effusi, Iehovam vero quo minus hoc fiat impedientem, quasi iam tum ultionis mos in usu esse potuerit, quamvis secundum Iehovistam ipsum praeter Adamum, Evam et Cainum nemo viveret. — Sed pergit Elohista noster v. 8: Tum Deus Noacho et filiis eius, qui apud eum erant, haec dixit: (v. 9) Ego foedus meum stabilio vobiscum et cum progenie vestra, quae post vos futura est, (v. 10) et cum omnibus animalibus, quae vobiscum sunt, cum volucribus, cum quadrupedibus, cum universis denique animalibus terrestribus, tum mansuetis, *tum* feris, una vobiscum, denique cum omnibus ex arca egressis, hoc est cum omnibus animalibus terrestribus; (v. 11) quo foedere vobis satisdo, numquam amplius fore, ut omnes animantes per aquas diluvii perdantur et diluvium revertatur ad orbem terrarum corrumpendum, *cett.* Duo his verbis, quae propterea accuratius descripsimus, insunt criteria Elohistam auctorem prodentia, tautologia dictio-

nis, inquam, (cf. §. 3, 1) et ratio prorsus alia, qua hic mythus differt a Genes. 8, 20—22, cum Deus, non sacris oblatis permotus, uti loco citato Iehova, sed sponte sua promittat, se numquam postea terram incolasque eius perditurum. Addit Deus deinde (v. 12 sqq.) signum pignusque huius promissi, arcum coelestem, quem simul signum foederis facit oculis conspiciendum, qua in re (cf. §. 3, 3) infra etiam (cap. 17) novum Elohistae criterium conspiciemus. Eichhorn non minus totum fragmentum ab Elohista profectum censet quam Ilgen ab Elohista suo secundo; sed Astruc, qui reliqua etiam Elohistae tradit, commata tamen 11. 13. 14. 15 Iehovistae putat deberi.

Genes. IX, 18—29. יהוה. Haud obscure compilator ad alterius poëtarum suorum narrationem redit, ita denuo incipiens v. 18: Erant vero filii Noachi, qui ex arca prodierant, Sem, Cham et Iaphet; filiorum enim Noachi, qui bis ab Elohista (cap. 5, 32. et 6, 10) nominantur, Iehovista nondum mentionem fecerat; haec vero verba satis apte subiungi possent loco Iehovistae Genes. 8, 20—22. Haec narrat poëta: Noachus vinum biberat et vino somnoque sepultus inhonestius iacuit dormiens in tentorio. Cham hunc conspectum fratribus indicat, qui pia mente vultuque averso patris verenda tegunt. Noachus deinde expergefactus post Chami cavillationem compertam haec dicit (v. 25): Infelix Canaan, servus infimus sit fratrum suorum! (v. 26.) Bene dicatur Iehovae, deo Semi, et Canaan illis (h. e. posteris Semi) sit servus; (v. 27) amplificet Deus (יַפְתְּ אֱלֹהִים לְיֶפֶת) Iaphetum, ita ut habitet in tentoriis nominis (בְּאָהֳלֵי שֵׁם) h. e. in tentoriis gloria celebratis; cf. supra cap. 6, 4: אַנְשֵׁי הַשֵּׁם viri celeberrimi) et Canaan sit iis (h. e. posteris Iapheti) pro servo. Mirum sane, quod Noachus, filii impietatem puniturus, non Chamo sonti sed Canaano innocuo maledixerit! Sed ab initio fragmenti nostri (v. 18) poëta iam indigitat, Chamum fuisse Canaani patrem,

quod v. 22 absque ulla causa iterat (וַיַּרְא חָם אֲבִי כְנַעַן; satis aperte igitur indicat, se Canaanum petere, et in hunc insontem vertit avi iram, ut invidiae suae in populum Israëlitis infestum, Canaanaeos, Canaani posteros, satisfaciat, quem Iehovistae morem supra (§. 4, 4. b.) notavimus. Quanquam autem in commate 27 nomen אלהים legitur, minime tamen a praecedentibus resecari et Elohistae, totius huius narrationis prorsus experti, tribui potest, nec hoc cuiquam trium horum, quos saepe laudavimus, interpretum in mentem venit. Rectius igitur sumas, vel compilatorem h. l. humani quid passum, vel Iehovistam non ita prorsus, ut voce אלהים nusquam uteretur, sibi constare in nomine יהוה adhibendo; ipsa enim etymologia nominis יֶפֶת, quam comma 27 exhibet, Iehovistae indolem prodere videtur (cf. supra §. 4, 4. a.). Neque est denique cur commata huius sectionis postrema (28 et 29) ad Elohistam auctorem ableganda putemus; quae trium illorum interpretum est sententia. Non ita arcte quidem haec verba cum proximis cohaerent, ut non sine vulnere ab iis revelli possint; sed et Iehovista (cap. 7 6) et Elohista (cap. 7, 11) Noachum narraverat ineunte diluvio sexcentos annos natum; uterque igitur in nostro loco priorem suum respicere potuit, addendo: Noachus post diluvium trecentos et quinquaginta annos vixit, complevit igitur aetatem DCCCCL annorum. Reliqua sectionis nostrae commata non modo Astruc sed etiam Eichhorn Iehovistae tribuit, Ilgen vero Elohistae suo secundo.

§. 11.

Genes. X: Tabula genealogico-ethnographica.

De origine tabulae huius celeberrimae si quaeris, nil satis certi habemus quod de ea statuamus. Astruc et Eichhorn Iehovistae acceptam referunt, Ilgen Elohistae priori. Originem a Iehovista derivandam nihil nobis

commendat nisi nomen יהוה, quod v. 9 bis legitur; sed ubicunque auctor alia quaedam dat praeter mera nomina propria, tautologiis tantopere favet (cf. v. 5. 20. 31. 32); ut non sine magna veritatis specie Elohistam auctorem iudicaveris (cf. supra §. 3, 1). Cum deinde libri Geneseos multae aliae etiam genealogiae ab Elohista sint repetendae (cf. cap. 5. 11, 10—32. 26, 1—8. 36. 46, 8—27.), nos, si magis definita sententia in medium est proferenda, sic statuendum putamus: Tabulae huius ethnographicae prima quasi stamina *compilator* apud Elohistam invenit atque ex traditionibus aliunde petitis quae apta videbantur addidit, quod eo facilius facere potuit, quo coniunctiores tempore eius Hebraei erant Phoenicibus, mercaturae faciendae causa totum terrarum orbem, tum temporis cognitum, peragrantibus, ad quos omnium horum populorum saltem fama quaedam pervenisse poterat. Iudicii autem satis firmi de hoc capite iactura levior est, quam de qua multum queramur, cum nullus fere nexus ei cum reliquis intercedat; nisi quod loca eius nonnulla cum aliis quibusdam pugnare videantur, de quibus altius disquirere iam nostrum esse non potest.

§. 12.

Turris babylonica. Semitae ad Abrahamum usque.

Sectio 11.

Genes. XI, 1—9. יהוה. Facile hic Iehovista, cui compilator hanc debet narrationem, discernitur tum anthropomorphismo tum invidia Babyloniorum, populi Israëlitis infesti (cf. 4, 1 et 4, b). Cum per totam terram habitatam, sic narrat poëta, una tantum lingua esset, homines, qui caveant ne dispergantur quique gloriam sibi parent (v. 4: וְנַעֲשֶׂה לָּנוּ שֵׁם, cf. Iehovistam Genes. 6, 4 et 9, 26), statuunt turrem altissimam exstruere. Iehova vero, veritus ne nimis potentes evadant homines,

qui post turrem exstructam nihil non perficient, quodcunque sunt ausuri (v. 6), Age iam, inquit, (v. 7) descendamus et ibi sermonem eorum ita confundamus, ut alii aliorum orationem non intelligant. Addit vero poëta: Idcirco nomen huius (urbis) vocant בָּבֶל, quia Iehova ibi confudit (בָּלַל) linguam omnium hominum, cett., etymologiam fingens, quasi esset בְּלִבֵּל, cum recte tamen derivetur hoc nomen a בָּב *porta*, h. e. domus regia, palatium, et בְּעֵל s. בַּעַל, proprie: *dominus*, quod nomen est *θεοῦ ἐγχωρίου* atque tutelaris Babyloniorum. Astruc et Eichhorn nobiscum faciunt, hanc sectionem Iehovistae tradentes, quam Ilgen Elohistae secundi esse contendit.

Sectio 12.

Genes. XI. 10—32. אֱלֹהִים. Non immerito hic interpretes compilatorem vituperaverunt, scilicet qui hanc sectionem a cap. 10 per interpositam sectionem undecimam minus apte seiunxerit. Haec enim homines pingit in uno populo ad aedificandam turrim coniunctos, illud vero de populis per omnem terram sparsis quae traditio servaverat enunciat, quibus rebus sectio nostra quam aptissime adiungitur. Cap. 10, 25 enim duo nominati sunt filii Eberi, Peleg et Ioktan; sed posterioris tantum progeniem auctor v. 26 sqq., Pelegum silentio premens, prosequutus est. De hoc autem in sectione nostra v. 16. 17 tanquam de unico Pelegi filio dicere pergit compilator. Sed si comparaveris cap. 11, 10. 12. 14, ubi etiam τῷ Sem, τῷ Arphachsad, τῷ Selah singuli tantum filii tribuuntur, cum cap. 10, 22, ubi quinque filii τοῦ Sem et v. 24 singuli filii τοῦ Arphachsad et τοῦ Selah nominantur, elucebit, rem sic se habere: Cap. 10. omnes nominat omnium patriarcharum filios, e quibus populi ab Hebraeis diversi orti sunt; cap. 11, 10 sqq. vero per filios tantum primogenitos, a Semo ad Abrahamum usque deductos, monstrat, Abrahamum originem a Noacho traxisse. Igitur non *potest* tantum utrumque fragmentum ab uno eodemque Elohista profectum esse, sed *necesse* etiam est hoc su-

mere, cum genealogia posterior priori se adiungat, quae in illa sunt omissa accuratius explicet atque ulterius in tempora seriora producat. Dubium de hoc iudicio moverunt interpretes, quia hic v. 31 Sara, uxor Abrahami, non filia Therachi nominatur sed nurus (וַיִּקַּח תֶּרַח אֶת־שָׂרַי כַּלָּתוֹ אֵשֶׁת אַבְרָם), infra vero, cap. 20, 12, qui idem locus Elohistae debetur, Abrahamus de ea dicit: Reyera illa (Sara) est soror mea, filia patris mei, sed non filia matris meae, quae verba cum nostro loco pugnare videntur. Cum vero tot rationes suadeant, ut et locum Genes. 11, 10—32, et Genes. 20 Elohistae tribuamus, malumus putare, auctorem non semper sibi constare, quam de re dubitare, tanta veritatis specie praedita. Astruc tamen v. 10—26 sectionis nostrae ab Elohista, v. 27—32 a Iehovista profecta censet, Eichhorn vero totam sectionem ab Elohista, Ilgen ab Elohista primo repetit.

§. 13.

Abrahamus in terra Canaan et in Aegypto apud Pharaonem.

Sectio 13.

Genes. XII, 1 — 20. יהוה. Totum quidem caput, nomine יהוה insigne, Iehovistae acceptum referimus, sed duas eiusdem auctoris discernimus narrationes inter se iunctas.

1) *Genes.* XII, 1—9. Iehova Abrahamum sic allocutus est: Emigra ex tua terra, ex patria, e domo paterna in terram, quam tibi ostendam. Ego te magnam gentem faciam, felicissimum te reddam et magnum nomen tuum, et optantes tibi felicia felicitabo; te detestantes detestabor, et *per te omnes terrae nationes beabuntur* (וְנִבְרְכוּ בְךָ כֹּל מִשְׁפְּחֹת הָאֲדָמָה). Haec prima est praedictionum illarum quas vocant messianarum de salute omnium populorum per Abrahami posteros promovenda,

quas supra §. 4, 3 auctori nostro proprias diximus, cum his saltem verbis apud Elohistam nusquam legantur. Hoc quidem per reliqua capita exemplis est probandum; jam vero sequitur locus, quo auctor noster ab Elohista satis luculenter se discernit. V. 4 Abrahamus Iehovae dicto est audiens atque proficiscitur e terra חָרָן, annos quinque et septuaginta natus, post Therachum patrem mortuum, qui si viveret adhuc princeps stirpis esset. Secundum Elohistam vero Therach, qui septuaginta annos natus Abrahamum susceperat (cap. 11, 26), in terra Charan mortuus est (cap. 11, 32) annos 205 natus, cum tamen, si priorem numerum cum aetate Abrahami, qualem noster hic indicat, computares, Therachus nunc, Abrahamo exsulante, in vivis esset neque plures, quam 145 annos haberet. Alter igitur poëta, Elohista, Theracho dat 205 annos, alter minus quam 145 annos: posteriorem itaque Iehovistam esse necesse est. — Abrahamus deinde, postquam in terram כְּנַעַן pervenerat, primum prope terebinthetum מֹרֶה et urbem Sichem, postea prope urbem בֵּית־אֵל figit tentoria; utriusque vero urbis nomina, cum ipsae nondum essent, a poëta huic tempori non satis recte tribuuntur.

2) *Genes. XII*, 10—20. Abrahamus, orta in ea regione fame, in Aegyptum se confert, ibique veritus, ne Aegyptii, amore pulchrae uxoris capti, eam sibi eriperent, huic dixit (v. 12:) Quodsi te viderint Aegyptii, et intellectum fuerit, te meam esse coniugem, me interficient, te incolumi. (v. 13.) Quamobrem dicito, te meam esse sororem, ut tua causa atque opera meae utilitati salutique consulatur. Ex auctoris nostri igitur sententia Sara non vere est soror Abrahami, sed falso esse dicitur, quod magis repugnat sententiae Elohistae (Genes. 20, 12.) quam supra Gen. 11, 31. Ita vero pergit noster: Sara a Pharaone domum eius deducitur, in matrimonio cum eo coniungenda, et Pharao Abrahamum huius feminae gratia multis cumulat donis; sed domus

Pharaonis a Iehova propter Saram (עַל־דְּבַר שָׂרַי אֵשֶׁת אַבְרָם) magnis afficitur cladibus; ille Abrahamum evocat, uxorem, quam ipse ducendam concupiverat, reddit, servosque suos iubet Abrahamum in Canaanaeam redeuntem cum omnibus eius opibus comitari et ab omni iniuria tueri. — Omnis haec narratio optime cohaeret cum praecedente, praesertim cum Abrahamus e terra Canaanaea in Aegyptum proficiscatur et ex Aegypto postea eodem redeat; infra autem (cap. 20) aliam videbimus alterius auctoris historiam eiusdem fere argumenti, ita tamen a nostra diversam, ut ab uno eodemque auctore profectae esse nequeant. Astruc et Eichhorn totum nostrum caput a Iehovista repetunt, Ilgen vero com. 1. 2. 3 et dimidium quartum, deinde commatis quinti finem et com. 6—20 Iehovistae, reliqua Elohistae prioris esse contendit.

§. 14.

Lotus ab Abrahamo secedit.

Sectio 14.

Genes. *XIII*, 1—18. יהוה. Abrahamus, cum omnibus suis opibus ex Aegypto redux, Lotum fratris filium habet comitem (v. 1. 2), qui etiam armentis et tentoriis ita abundat, ut prae multitudine copiarum una regione capi et simul habitare non possint. Abrahamus igitur, ut finem imponat rixis inter suos Lotique pastores exortis, huic dicit (v. 8): Equidem nolim dissidia esse inter me et te, inter meos tuosque pastores, qui homines simus consanguinei (כִּי אֲנָשִׁים אַחִים אֲנָחְנוּ). Iam universa tibi regio patet (v. 9): liberum tibi facio a me quam velis in partem discedere, ipse in diversum abiturus. Lotus deinde sibi eligit Iordani planitiem (כִּכַּר הַיַּרְדֵּן) irriguam atque horto a Iehova plantato similem (v. 10: כְּגַן יְהוָה) (cf. supra nostrum Iehovistam Genes. 2, 6: Iehova hortum plantavit in regione Eden) et ad Sodo-

ma usque tetendit (v. 12); Abrahamo in Canaanaea remanente. Tum iterum Iehova Abrahamo haec promittit, quae optime conveniunt cum cap. 12, 1—3 (cf. supra §. 4, 3), ita eum allocutus (v. 15. 16): Omnem hanc terram, qua versus quatuor coeli plagas se pandit, tibi posterisque tuis dabo in sempiternum; progeniemque tuam reddam arenae terrestris instar, ita quidem, ut, si quis arenam terrae numeraverit, etiam tua progenies numerari possit (אֲשֶׁר אִם יוּכַל אִישׁ לִמְנוֹת אֶת־עֲפַר־הָאָרֶץ גַּם זַרְעֲךָ יִמָּנֶה). Abrahamus denique tentoria figit in terebintheto Mamre (בְּאֵלֹנֵי מַמְרֵא) prope Hebronem urbem. Haec sunt, quae narrat poëta, non modo cum verbis suis proxime praecedentibus arctissimo vinculo cohaerentia, sed prospicientia etiam ad ea, quae mox est narraturus, de Loto, Sodomis habitante, modo per Abrahamum (cap. 14, 12 sqq.) eo reducto, cum ab hostibus captus esset, modo per angelos (cap. 19, 15 sqq.) inde extracto, cum Iehova per ignem coelitus demissum regionem illam esset perditurus. Quae omnia si comparaveris cum promissis Abrahamo iteratis, testabuntur, sectionem nostram Iehovistae esse tribuendam; neque omittendum videtur, quod v. 13 Sodomitae peccatores contra Iehovam (וְאַנְשֵׁי סְדֹם רָעִים וְחַטָּאִים לַיהוָה מְאֹד) nominantur, cum tamen Iehovam deum non habeant, quod auctor non scripsisset, nisi hoc nomen ei usitatissimum fuisset. Eandem nobiscum sententiam tuentur Astruc et Eichhorn; sed Ilgen comma sextum et partem aliquam undecimi et duodecimi ab Elohista priore, reliqua tantum a Iehovista iubet derivari.

§. 15.

Abrahami expeditio bellica.

Sectio 15.

Genes. XIV, 1—24. יהוה. Qui ante nos de hac re disputaverunt interpretes de huius capitis origine quam

maxime dubitantes, Iehovistaene an Elohistae tribuerent ambigui, incerti cuiusdam tertii opus esse maluerunt; sic saltem censent Astrüc et Eichhorn, quamquam Ilgen totum fragmentum Elohistae suo secundo deberi putat. Nos vero multis cogimur rationibus iisque satis probabilibus, ut hoc fragmentum Iehovistae tribuamus, ad quam rem probandam argumentum paucis indicabimus. Quinque reguli, planitiem Iordanis eiusque urbes habitantes, qui per duodecim annos regi Kedorlaomer vectigales fuerant, anno decimo-tertio defecerunt, belloque inter eos et regem magnum eiusque socios orto, reges Sodomorum et Gomorrhae in pugna ceciderunt, socii eorum in montes confugerunt, victoresque, praeda ex urbibus Sodomis et Gomorrha coacta onusti, se receperunt, Lotum etiam, filium fratris Abrahami, Sodomis habitantem (v. 12, cf. Genes. 13, 12) captivum secum ducentes. Qua de re, praesertim de Loto capto certior factus Abrahamus (v. 14: וַיִּשְׁמַע אַבְרָם כִּי נִשְׁבָּה אָחִיו cf. Genes. 13, 8), qui tum in terebintheto τοῦ Mamre, Amoritae, habitabat (v. 13, cf. Genes. 13, 18), servos suos, vernas domi suae natos, armat, victores abeuntes persequitur, insidiisque collocatis noctu eos attingit funditque, omnemque recipit praedam et simul Lotum cum omnibus bonis suis (v. 16: וְגַם אֶת־לוֹט אָחִיו וּרְכֻשׁוֹ). Victori reduci obviam procedunt rex Sodomorum, qui suffectus erat in locum occisi, et rex Hierosolymorum, qui idem sacerdos erat *dei summi* (v. 18: מַלְכִּי־צֶדֶק מֶלֶךְ שָׁלֵם וְהוּא כֹהֵן לְאֵל עֶלְיוֹן), cibum potumque offerunt fessis, Abrahamum laudibus cumulant, rogantque, ut ex praeda recepta quaecunque velit sibi sumat. Abrahamus vero (v. 22) regi Sodomorum haec dicit: Manum meam tollo ad Iehovam, deum summum, qui coelum terramque paravit (הֲרִימֹתִי יָדִי אֶל־יְהוָֹה אֵל עֶלְיוֹן קֹנֵה שָׁמַיִם וָאָרֶץ), eumque testor (v. 23), me ex omnibus tuis ne hilum quidem ablaturum, ne tu forte dicas, Abrahamum abs te esse ditatum, praeter victum (v. 24) duntaxat iuvenum et partem eorum, qui mecum

profecti sunt, Aneris, Escolis et Mamres: nam hi suam partem auferant. Cum supra Malchi-Zedek (v. 18) *Dei summi* sacerdos dictus et Abrahamo bene precatus esset *in nomine Dei summi, creatoris coeli et terrae* (v. 19: בָּרוּךְ אַבְרָם לְאֵל עֶלְיוֹן קֹנֵה שָׁמַיִם וָאָרֶץ), poëta noster non temere sed consulto Abrahamum iurantem numenque divinum testantem ea facit verba pronunciantem, quibus simul significet, *se etiam colere Deum summum, omnium rerum creatorem*, sed sibi hunc Deum esse Iehovam, gentis suae Deum tutelarem. Nomen יהוה igitur, quamquam alias parum faciat ad Iehovistam auctorem fragmentorum designandum, hic non minus quam supra Genes. 13, 3 morem loquendi huic proprium prodere videtur. Quod si sumere non liceret, cur tandem auctor non fecerit Abrahamum iisdem, quae Malchi-Zedek' adhibuerat, verbis utentem? Reliquas phrases, quibus caput nostrum praecedenti perquam simile est, per parentheses supra indicavimus, nihilque esse putamus, cur hoc fragmentum a ceteris Iehovistae resecemus. Neque ita prorsus, uti Eichhornius ad h. l. (*Einleit. ins A. T.* Tom. III, p. 41, §. 407.) vult, hoc caput a subsequentibus sectionibus Iehovistae tribuendis est recidendum; cap. 14, 2. enim dicit noster: מֶלֶךְ בֶּלַע הִיא צֹעַר *rex Belae, quae urbs est Zoar*; infra vero, cap. 19, 22. narrat, hanc urbem post Lotum demum eo se recipientem Zoar esse nominatam. Verum hoc sit, nec ne — nihil ad nos; patet vero, ex auctoris nostri, Iehovistae, sententia, post urbes demum reliquas τοῦ כִּכַּר הַיַּרְדֵּן dirutas, hanc urbem, quae antea *Bela* audierit, nomen Zoar induisse. Idem auctor porro narrationem de harum urbium eversione, quam mox est traditurus (cap. 19), hic indigitat his verbis, cap. 14, 4: עֵמֶק הַשִּׂדִּים הוּא יָם הַמֶּלַח, vallis Siddim, quae (postea) lacus salsus est facta, (post ignem coelitus demissum); et infra v. 10: וְעֵמֶק הַשִּׂדִּים בֶּאֱרֹת בֶּאֱרֹת חֵמָר vallisque Siddim plena erat fovearum (h. e. fontium) asphalti; qua re haud obscure

monstratur, quomodo omnis vallis, quasi terra ipsa per fulmina incensa, flagrare potuerit, quod factum esse narrat Iehovista cap. 19, 28. Haec similiaque, quibus demonstrari licet, auctorem utriusque capitis, Genes. 14 et 19, optime sibi constare, ideoque unum eundemque esse Iehovistam, plus semper apud nos valebunt, quam singularum vocum, in quibus nemo elegans poëta semper idem esse vult, varietas. Non magni etiam facienda esse criteria illa, ex quibus Eichhorn V. Cl. (lib. cit. p. 42) auctorem originarium huius sectionis rebus narratis tempore fere aequalem suspicatus est, alio loco, ubi argumentis quam validissimis sententiam V. Cl. de Wette sumus defensuri, totum librum Geneseos mythis esse refertum et diu post Mosem conscriptum, erit demonstrandum.

§. 16.

Iehova foedus icit cum Abrahamo.

Sectio 16.

Genes. XV, 1—21. יְהוָה. Multo minus de hoc capite quam de praecedente dissentiunt interpretes: Astruc et Eichhorn nobis adstipulantur, Iehovistam auctorem contendentes, Ilgen vero hoc fragmentum Elohistae secundo deberi putat, quod tamen, si accuratius argumentum examinaverimus, facile Iehovistae vindicabitur. Non accurate quidem compilator hunc mythum proximo coniungit, his verbis v. 1: Post has res gestas Iehova in visione Abrahamum allocutus est: Noli timere, Abrahame! ego tibi praesidio ero, cett. quorum verborum priora אַחַר הַדְּבָרִים הָאֵלֶּה pace nostra compilatori, saepe ita singula fragmenta coniungenti, dederis (cf. supra §. 5, 1); sed porro haec legimus: Abrahamum querentem, quod Iehova prolem sibi non dederit, foras educit Iehova dicitque ei (v. 5): Adspice coelum et enumera stellas, si numerare eas potes; non minus numerosa erit

progenies tua. Hic cum anthropomorphismus Iehovae Abrahamum quasi manu prehensum foras deducentis et digito ei stellas monstrantis, tum iteratio promissorum Iehovistae propriorum (cf. §. 4, 1 et 3) hunc nobis indicant auctorem, quem eundem videmus in anthropomorphismo qui subsequitur multo clariore. Pergit enim poëta, v. 7: Iehova Abrahamo: Ego, inquit, sum Iehova, qui ex regione Ur in terra Chaldaeorum te eduxi (cf. supra Iehovistam cap. 12, 1 sqq.), ut hanc terram tibi traderem. Abrahamum vero, signum quo hac de re certior fieri possit flagitantem, Iehova iubet (v. 9) iuvencam sumere et capram et arietem et turturem et columbam parvulam, atque sacrum ita facere, ut exceptis avibus reliquas hostias medias dissecaret et partes singulas singulis ex adverso opponeret (v. 10), quo facto Abrahamus, alites ad cadavera devolantes abigens, sopore altissimo oppressus est, (v. 12: וְתַרְדֵּמָה נָפְלָה עַל־אַבְרָם, cf. supra apud Iehovistam: וַיַּפֵּל יְהוָה אֱלֹהִים תַּרְדֵּמָה עַל־הָאָדָם, Genes. 2, 21) et Iehovam audit vaticinantem, (v. 13 sqq.) fore ut posteri Abrahami aliquando per quadringentos annos populo alieno serviant illis infesto, quo punito a Iehova, in terram Canaanaeam redeant, opibus summis ditati (v. 14), postquam Amorraeorum (v. 16) maleficia ad summum pervenerint; Abrahamum autem ipsum (v. 15) post bene actam senectutem quiete vita defuncturum. Haec omnia, quae Aegyptiis atque Amorraeis (אֱמֹרִי) infausta, Israëlitis fausta quaeque portendunt, indolem simul produnt Iehovistae, ut supra §. 4, 4 locis similibus collatis demonstravimus. Denique poëta noster Iehovam ipsum, qui more humano cum Abrahamo foedus feriat, per media illa hostiarum frusta narrat transeuntem (cf. Ierem. 34, 18. 19), quasi significaturum: quae promiserit non minus certo esse eventura, quam haec hostiarum frusta vere sint dissecata. Sic e contextu interpretamur haec auctoris verba, per se quidem obscuriora v. 17: Post solis occasum oborta caligine, ecce

quoddam fumidum incendium et fax ignea inter frusta illa intermeavit. Disertis denique verbis addit poëta (v. 18), Iehovam cum Abrahamo foedus feriisse, minime tamen signo permanente, quod sub sensus caderet, addito, uti supra cap. 9, 1–17 apud Elohistam invenimus, et singulos enumerat populos, quorum terras Iehova Abrahamidis promiserit possidendas.

§. 17.

De Hagaris fuga narratio prior.

Sectio 17.

Genes. XVI, 1–16. יהוה. Hanc narrationem omnem Iehovistae esse tribuendam, quod nobiscum censent Astruc et Eichhorn, quamquam Ilgen eam dividere malit inter Elohistam suum priorem, cuius commata 1. 3. 15 et 16 esse dicit, et Iehovistam, cui reliqua tradit, hic ex solo hoc capite demonstrabimus, infra ad cap. 21, 1—21 (§. 21, sect. 20), ubi eadem narratio iteratur, de eo quod inter illam nostramque intercedit traditionem disputaturi. Haec vero sunt quae poëta tradit: Sara, Abrahami uxor, cum videret, se nihil ex eo parere, marito ancillam aegyptiacam, Hagarem, tradidit, quacum rem haberet, ut ipsa per hanc liberos posset consequi. Illa vero, gravidam se factam sentiens, (v. 4) heram contemnit, quae ab Abrahamo impetrat, ut ancilla insolens sibi tradatur coërcenda. Hagar vero aegre ferens heram imperiosiorem, aufugit in desertum, ubi angelus Iehovae (v. 7: מַלְאַךְ יְהוָה, qui idem est יְהוָה cf. v. 10. 13) errantem invenit admonetque, ut ad heram revertatur eique se submittat, promisso addito, se prolem numerosam Hagari daturum ex filio, quem sit paritura, quemque Ismaëlem vocari iubet, quia Iehova miseriam Hagaris exaudiverit (v. 10: הַרְבָּה אַרְבֶּה אֶת־זַרְעֵךְ וְלֹא יִסָּפֵר מֵרֹב; v. 11: הִנָּךְ הָרָה וְיֹלַדְתְּ בֵּן וְקָרָאת שְׁמוֹ יִשְׁמָעֵאל כִּי שָׁמַע יְהוָה אֶל־עָנְיֵךְ). Mythus hic ad etymolo-

giam nominis יִשְׁמָעֵאל illustrandam effictus non nostro quidem poëtae soli est proprius, sed minus aptum tamen videtur, *filio* nomen imponi, quia Iehova *matrem* exaudierit, praesertim cum non statim hoc fecerit, sed prius ad heram eam redire iusserit; magis probabile igitur est, si inventionem poëticam spectas, quod Elohista (Genes. 21, 17) narrat, Deum ideo voluisse puerum vocari יִשְׁמָעֵאל, quia hunc ipsum siti oppressum exaudiverit, fontem scilicet monstrando, ut sitim frangere posset (cf. supra §. 4, 4. c). Quae deinde in nostro loco de posteris Ismaëlis dicuntur, perquam similia sunt locis illis, quibus Iehovista Iehovam facit Abrahamo numerosam prolem promittentem (cf. §. 4, 3), et cum poëta, secundum traditionem etiam Arabibus notam, hos per Ismaëlem ab Abrahamo oriundos finxerit, Arabes etiam non ea, qua contra populos exteros flagrare solet, persequitur invidia, sed v. 12 Ismaëlem duntaxat talem describit praedatorem ferocissimum, omnibus omnium terrarum hominibus bellum inferentem, quales ad hunc usque diem sunt deserti arabici incolae. Aliam denique subiungit etymologiam, e colloquio Iehovae cum Hagare effictam, quae Iehovistam prodere videtur, his verbis, v. 13: Nominavit deinde Hagar Iehovam secum collocutum: deum visionis (אֵל רֳאִי) dixitque: Nonne ego video (h. e. superstes sum) post visionem meam? (h. e. quamquam Iehovam conspexerim). v. 14: Idcirco puteus ille nominatur puteus vivendi et videndi (בְּאֵר לַחַי רֹאִי). De aliis quibusdam rebus ad caput nostrum pertinentibus infra (§. 21) videbimus.

§. 18.

Circumcisio Abrahamo a Deo imperatur.

Sectio 18.

Genes. XVII, 1—27. אֱלֹהִים. Ilgen hoc fragmentum Elohistae priori acceptum refert; etiam Eichhorn

totum ab Elohista repetit, sed ASTRUC, cetera Elohistae tribuens, primum tantum et secundum commá a Iehovista putat profecta. Incipit quidem compilator v. 1: Abrahamus cum nonaginta novem annos natus esset, IEHOVA apparuit Abrahamo (וַיֵּרָא יְהוָה אֶל־אַבְרָם) dixitque ei: Ego sum Deus omnipotens (אֲנִי אֵל שַׁדַּי); vive ad praecepta mea et esto integer; et faciam (v. 2) foedus tecum (וְאֶתְּנָה בְרִיתִי בֵּינִי וּבֵינֶךָ) et quam maxime te amplificabo (וְאַרְבֶּה אֹתְךָ בִּמְאֹד מְאֹד). Mirum autem vix est, quod compilator, qui per quinque capita proxima nullum aliud nomen Dei noverat praeter יהוה, hoc etiam scribit in principio sectionis, quam ab Elohista petierat. At non tantum per omne reliquum caput nostrum utitur nomine אלהים, sed ex duobus ipsis quae modo descripsimus commatibus demonstrari poterit, hanc narrationem Elohistae deberi. Praeter hunc nemo in Genesi utitur voce אֵל שַׁדַּי (cf. supra §. 3, 4); hic *porro* foedus Dei cum Abrahamo sancitum narraturus, nihil dicit de foedere, quod inter Iehovam et Abrahamum ictum cap. 15 apud Iehovistam invenimus; *deinde* apud hunc eundem Elohistam supra (Genes. 5, 22. 24. et Genes. 6, 9) legimus הִתְהַלֵּךְ אֶת־הָאֱלֹהִים et (Genes. 7, 19) מְאֹד מְאֹד, utrumque loco nostro simillimum; *denique* phrases, quibus hic Abrahami proles augenda celebratur, similes sunt aliis illis, quas apud Elohistam legimus, differunt vero ab usu Iehovistae de eadem re dicentis (cf. supra §. 3, 5 et §. 4, 3). — Ad narrationem ipsam si iam conversi fuerimus, non minus luculenter Elohistae indoles sese exseret, non modo per tautologiam copiamque nimiam in dicendo (cf. supra §. 3, 1), quae neminem latere poterit, qui, Iehovistae narratione breviore atque concinniore relicta, ad poëtam nostrum verbosissimum transierit, sed etiam per totum narrationis argumentum, quod hoc est: Deus patriarchae nomen אַבְרָם in posterum mutandum iubet in אַבְרָהָם (v. 5), uxoris eius nomen שָׂרַי in שָׂרָה (v. 15), quarum mutationum non inepte ex-

plicatur etymologia. Deinde de foederis pignore visibili, quod Elohistam prodit (cf. supra Genes. 9, 1—7 et §. 3, 3), Deus dicit haec, v. 11: Hoc erit foedus meum quod servabitis, inter me et vos et semen tuum post te: circumcidantur apud vos omnes mares (הִמּוֹל לָכֶם כָּל־זָכָר); posteaque (v. 21) addit: Foedus meum etiam facturus sum cum Isaaco, quem Sara tibi hoc proximi anni tempore pariet (אֲשֶׁר תֵּלֵד לְךָ שָׂרָה לַמּוֹעֵד הַזֶּה בַּשָּׁנָה הָאַחֶרֶת). Abrahamus vero dicto audiens semetipsum circumcidit et Ismaëlem, annum decimum tertium agentem, omnesque servos domus suae. Circumcisio, quam poëta a Deo ipso institutam esse fingit, uti supra §. 3, 2 per complura docuimus exempla, signum est quam maxime perspicuum, omnem hanc narrationem Elohistae deberi, quem singulae etiam phrases auctorem docent.

§. 19.

Iehova cum angelis apud Abrahamum, hi postea apud Lotum devertuntur, ex urbe Sodomis eum erepturi.

Sectio 19.

Genes. XVIII, 1 — *XIX*, 38. יהוה. Arctissimum est vinculum, quo omnes huius sectionis partes, additamento compilatoris parvulo excepto, inter se coniunguntur, varioque modo indoles Iehovistae, cui omnem hanc sectionem deberi nobis est quam persuasissimum, conspiciendam se praebet. Tres illi, quos saepe laudavimus, interpretes ea in re et inter se et nobiscum consentiunt, quod cap. 18, 1—19, 28 a Iehovista putant repetenda; quae vero supersunt capitis 19 commata 29—38, Astruc additamentum habet auctoris cuiusdam incogniti; Eichhorn omnia ab Elohista profecta esse contendit, Ilgen partem priorem commatis 29 Elohistae priori, reliqua ad finem usque Elohistae secundo donat. Nos vero narrationem ipsam breviter perlustrantes criteria Iehovistae indigitabimus. Abrahamus, in terebin-

theto τοῦ Mamre (cf. Genes. 13, 18 — 14, 13) habitans, tempore meridiano tres conspicit viros, sibi ad ianuam tentorii sedenti ex adverso stantes, quorum unus est Iehova (v. 1: וַיֵּרָא אֵלָיו יְהוָה v. 2: וַיַּרְא וְהִנֵּה שְׁלֹשָׁה אֲנָשִׁים). Hos comiter invitat, ut apud se devertantur, veniaque accepta prandii illis parandi vitulum assatum atque panem cum lacte iis apponit, et sub arbore edentibus adstat ministraturus (v. 8: וְהוּא עֹמֵד עֲלֵיהֶם תַּחַת הָעֵץ וַיֹּאכֵלוּ). En solitum Iehovistae nostri anthropomorphismum (cf. §. 4, 1). Sequitur deinde colloquium Iehovae cum Abrahamo, cui ille iterum (cf. apud Elohistam Genes. 17, 19 sqq.) promittit, fore ut filium e Sara suscipiat post annum praeterlapsum, et adiungitur (v. 12) indigitatio etymologiae nominis יִצְחָק, quod a *risu Sarae* derivatur. In hoc promisso, tanquam primum esset, nulla mentio fit prioris illius, quod Genes. 17, 19 sqq. Elohista narraverat, ita ut eiusdem auctoris utrumque esse minime possit; sed compilator duplici modo h. l. sua inseruisse videtur. Comma *undecimum*: *Abrahamus vero et Sara senes erant atque aetate provectiores, et Sara menstrua pati desierat*, additamentum putamus compilatoris, quia reliquam narrationem discerpit, neque impedit quo minus hoc sumamus, quod similis phrasis redit cap. 24, 1, ubi facile etiam compilatori tradetur. Deinde, cum auctor originarius illud: post annum unum abhinc praeterlapsum v. 10, expresserit כָּעֵת חַיָּה, compilator v. 14 ubi haec phrasis iteratur, addidisse videtur supervacaneum לַמּוֹעֵד, e narratione Elohistae Genes. 17, 21, ubi legimus: לַמּוֹעֵד הַזֶּה בַּשָּׁנָה הָאַחֶרֶת, ita ut idem sit sensus apud utrumque scriptorem: Deus (Iehova) anno ante Isaacum natum Abrahamo praedixit, fore ut filium e Sara suscipiat; sed modus dicendi, non minus quam rerum varietas, ita diversus, ut ex hoc auctores diversos discernere possimus, quam tamen diversitatem compilator duas illas phrases conglutinando tegere voluisse videtur. — Ad

narrationem poëtae nostri redimus. Surgunt (v. 16 sqq.) tres illi viri (Iehova cum duobus angelis), ut Sodoma se conferant; Abrahamus eos comitatur, et Iehova, post iteratam illam praedictionem messianam Iehovistae propriam (v. 18, cf. §. 4, 3), narrat Abrahamo, famam de Sodomitarum pravitate (quam supra cap. 13, 13 Iehovista vituperaverat) ad se pervenisse, additque haec v. 21: Itaque statui eo descendere et explorare (אֵרְדָה־נָּא וְאֶרְאֶה), utrum, quemadmodum querelis ad me perlatum est, sint plane profligati, an non sint, ut hoc sciam. En iterum Iehovistae anthropomorphismum, fingentis scilicet uti supra Genes. 11, 6 sqq. Iehovam coelitus descendentem ut cognoscat quid homines faciant. — Duo angeli porro (v. 22 הָאֲנָשִׁים) Sodoma se conferunt; Abrahamus vero, qui adhuc coram Iehova stabat (וְאַבְרָהָם עוֹדֶנּוּ עֹמֵד לִפְנֵי יְהוָה), cum eo de Sodomis reliquisque urbibus servandis colloquitur, nil tamen impetrare potest, quia ne decem quidem homines Deo accepti (v. 32) ibi inveniuntur, quorum gratia Iehova ceterorum poenam tollere possit. Iehova denique (in coelum) revertitur (v. 33: וַיֵּלֶךְ) et Abrahamus domum suam; duo illi angeli autem (cap. 19, 1: וַיָּבֹאוּ שְׁנֵי הַמַּלְאָכִים סְדֹמָה) Sodoma pergunt, apud Lotum devertuntur et coenant (v. 3: וַיֹּאכֵלוּ). Nondum autem cubitum iverant (v. 4: טֶרֶם יִשְׁכָּבוּ), cum Sodomitae hos viros a Loto efflagitant sibi tradendos, quibus vim inferant, et vix coërcentur, coecitate, ab angelis iis immissa, oppressi (v. 11). Frustra Lotus iussu angelorum generos suos monet, ut secum ex urbe mox peritura aufugiant; cumque dies illucesceret (v. 15), Lotum cum uxore et filiabus duabus ex urbe educunt angeli monentque, ut in montes se recipiat (v. 17). Lotus vero rogat, ut sibi liceat in urbem propinquam confugere, quod non magni momenti ei videtur (v. 20: וְהִיא מִצְעָר, hoc parvi quid est!); unde Iehovista, pro more suo (cf. §. 4, 4. 1), nomen urbis צוֹעַר (cf. quae supra §. 15 monuimus ad Genes. 14, 2)

ortum esse fingit. Quod cum permitterent angeli, Lotus cum filiabus salvus in hanc urbem pervenit; sed uxor eius, cum Iehova coelitus sulphur et ignem plueret in omnem planitiem, maritum relinquens in statuam salis mutata est, et Abrahamus cum postero mane ex eo loco, ubi coram Iehova steterat (cap. 18, 22 sqq.), in omnem campum prospiceret, vaporem igneum inde vidit surgentem (v. 28). Iam sequitur comma illud 29, quod multis interpretibus negotia fecit, cuiusque verba, per se satis perspicua, ad literam sic vertimus: *Et factum est, cum Deus* (אלהים) *everteret urbes planitiei, tum meminerat Deus Abrahami, et Lotum emisit e media ruina, cum everteret urbes, in quibus Lotus habitabat.* Cum quia nomen אלהים bis hic legitur, tum magis etiam propter tautologiam, qua hoc comma est insigne (cf. §. 3, 1), pro certo habemus, compilatorem hoc Elohistae proprium hic inseruisse, scilicet quod medium interrumpat nexum orationis. Minime vero putamus, etiam quae subsequuntur Elohistae esse tribuenda, uti Eichhorn et Ilgen voluerunt: comma enim breviorem quandam Elohistae prodit de urbibus illis eversis Lotoque erepto narrationem; quae subsequuntur autem, ad priora satis luculenter respiciunt. Sic enim pergit poëta v. 30: Lotus vero ex urbe Zoar ascendit et in monte habitavit, et duae eius filiae cum eo; non enim audebat habitare in urbe Zoar, sed in monte habitavit, in spelunca quadam, ille et duae eius filiae. Disertis igitur verbis monet, Lotum antea in urbe Zoar habitavisse, quam reliquerit timens, ne urbs, regioni eversae tam propinqua, etiam in perniciem traheretur (cf. supra v. 23); dicit porro, Lotum iam consilio angelorum obtemperasse (cf. supra v. 17), ut tutior sit; uxoris denique Loti, cuius interitum narraverat (v. 26), non modo mentionem non facit, sed bis etiam monet, filias solas Lotum esse comitatas. Haec omnia nos iubent commata etiam subsequentia Iehovistae tribuere, quod quam recte faciamus,

indoles ipsa mythi, quo narrationi suae de Loto finem imponit poëta, perspicue monstrabit. Narrat enim, filias Loti, de matrimonio cum viro quodam ineundo desperantes, cum patre inebriato cubasse, prolem ex eo accepturas (v. 31—36), deinde incestuoso hoc concubitu gravidas factas; partu Moabum et Ammonem edidisse (v. 37. 38). Hic igitur mythus a Iehovista pro more eius est effictus, ut proavos Moabitarum et Ammonitarum, populorum scilicet Israëlitis infestorum (cf. supra §. 4, 4, b.), macula adspergeret originis ex incestu derivandae; additque insuper Iehovista v. 37. 38 etymologiam satis perversam nominum מוֹאָב et עַמּוֹן, ad quam malum in modum illustrandam hunc mythum simul commentus est, quod e. g. elucet e voce מוֹאָב, quam מֵאָב h. e. *a patre ortus* explicari velle videtur.

§. 20.

Abrahamus apud Abi-Melechum, regem Gerari.

Sectio 20.

Genes. XX, 1—18. אלהים. Idem mythus de Sara a rege quodam, cuius amorem mulieris formositas ceperat, abducta, post poenas vero regi a Deo immissas incolumi restituta, quem supra apud Iehovistam, cap. 12, 10—20 (§. 13) legimus, hic a compilatore alio quodam modo secundum narrationem Elohistae aliquanto uberiorem et excultiorem traditur. Orationis tautologia Elohistam statim prodit, de quo auctore nemo etiam trium illorum quos saepe laudavimus interpretum dubitavit, quamquam Astruc et Eichhorn comma 18, ubi יהוה legitur, a Iehovista profectum censent, qua de re vero sic statuere malumus, ut hoc comma supervacaneum, quod ad narrationem iam finitam non pertinet, pro glossa a compilatore addita habeatur, nisi forte illud invenerit in narratione aliqua Iehovistae nunc deperdita, quia hic legimus: עָצֹר עָצַר יְהוָה בְּעַד כָּל־רֶחֶם לְבֵית אֲבִימֶלֶךְ׃

qua phrasi Iehovista etiam Genes. 16, 26 sterilitatem feminarum expressit, his verbis Sarae tributis: הִנֵּה־נָא עֲצָרַנִי יְהוָה מִלֶּדֶת, en, Iehova me clausit, ita ut parere non possim. Superest vero, ut paucis indicemus, quibus rebus capitis nostri narratio differat a priori illa Iehovistae. Hic igitur non Pharao, rex Aegypti, sed Abi-Melechus, rex Gerari (v. 2), Saram, quam Abrahamus sororem suam esse dixerat, ad se duci iubet; Deus vero in somnio nocturno, de quo nihil narrat Iehovista, regem monet, ut feminam maritatam (v. 3: הִוא בְּעֻלַת בָּעַל) marito reddat; rex, qui eam non tetigerat (v. 4), quantum potest se excusat, Deo iterum eum monenti est dicto audiens (v. 5—9), postquam omnes servos suos hac de re certiores fecerat. Abrahamo deinde accito rex, quod Saram sororem, non uxorem dixerit, exprobrat; patriarcha vero respondet (v. 12), eam vere sibi esse sororem, ex eodem patre sed non ex eadem matre natam, quod narrationi Iehovistae, uti supra §. 13, 2) diximus, repugnare videtur. Tum demum rex, quod apud Iehovistam (Genes. 12, 16) ante Saram redditam facit, Abrahamum donis cumulat, quae pro piaculis iniuriae haberi vult (v. 16); Abrahamus vero precibus a Deo impetrat, ut mala, quibus Abi-Melechi domum punierat, cessare iubeat, qua de re Iehovista nihil tradit.

§. 21.

De Hagaris fuga narratio secunda.

Sectio 21.

Genes. XXI, 1—21. אֱלֹהִים. Maiorem partem huius sectionis comprehendit mythus Elohistae de Hagare, de quo mox sumus dicturi post sententiam de comm. 1—8 explicatam. Fidem si habemus tribus nostris interpretibus saepe laudatis, totum hoc cap. 21 in diversas partes est distrahendum: totum comma primum Iehovistae tribuunt Astruc et Eichhorn, deinde v. 2—32 Elohi-

stae, denique v. 33 et 34 iterum Iehovistae; ILGEN vero Iehovistam auctorem facit partis posterioris com. 1 et commatum 6 et 7 pro parte priori; comm. 2. 3. 4. 5 et 34 Elohistae suo priori, quae supersunt Elohistae posteriori tradit. Nobis autem omnia et inter se et cum aliis Elohistae fragmentis ita bene cohaerere videntur, ut, si unicum exceperis comma primum et fortasse commata duo ultima (33. 34), quae a compilatore forsan quid passa sunt, ab Elohista qualia habemus integra repeti possint. Commata haec ultima interpretes propter phrasin קָרָא בְּשֵׁם יְהוָה ad Iehovistam relegaverunt; at in commentario nostro erit dicendum, cur nec Elohista nec compilator sensum, qui ei inest, alio modo exprimere potuerit; de commate autem primo, ubi legimus: Et Iehova visitavit Saram, sicuti dixerat (אָמַר), et fecit Iehova Sarae sicuti promiserat (דִּבֶּר), sic statuendum videtur, ut propter tautologiam hoc non minus quam cetera Elohistae tribuamus, ita tamen, ut vel ab auctore ipso vel, quod veri est similius, a compilatore nomen אלהים in יהוה sit mutatum (cf. supra §. 5, 2). Subsequens statim comma originem prodit ab Elohista derivandam per vocem מוֹעֵד (cf. quae supra §. 18 ad cap. 17, 21 et §. 19 ad cap. 18, 14 monuimus), et respicit ad promissum Dei Genes. 17, 19 seqq. ex traditione Elohistae. Haec vero narrat poëta v. 2 - 8 capitis nostri: Tempore a Deo constituto Sara filium parit Isaacum, cuius nomen v. 6 e *risu hominum* derivatur, audientium, Saram in senectute filium peperisse (cf. supra §. 3, 6. b). Secundum praeceptum Dei (cf. Elohistae narrationem Genes. 17, 12) Abrahamus Isaacum circumcidit octo dies natum, et eo die, quo ablactatur puer, magnum facit convivium. Iam vero sequitur narratio de Hagaris fuga, quae hic multo concinnior esse videtur, quam prior illa Iehovistae Genes. 16. Hic enim (v. 9. 10) Sara ab Abrahamo petit, ut Ismaëlem sibi invisum cum Hagare pellat, ne cum filio suo Isaaco patrimonii partem

accipiat; — quod satis probabile quidem, cum Sara nunc, filio genuino praedita, adoptivo facile possit carere; Genes. 16 vero Sara Hagarem gravidam, ex qua tamen filium suscipere optaverat, fugere sinit, imo ad fugam capiendam compellit. Hic non modo multo fusius fuga ipsa narratur et variae quae eam antecedunt res minoris momenti (v. 11—16), sed angelus etiam Dei, non Hagari obviam factus ad fontem, uti vult Iehovista (Genes. 16, 7), sed *de coelo* audiens vocem pueri, per sitim fessi, Hagarem alloquitur, fontemque ei monstrat, unde sitim frangere possit (v. 17: וַיִּקְרָא מַלְאַךְ אֱלֹהִים אֶל־הָגָר מִן־הַשָּׁמַיִם), qua re simul anthropomorphismus Iehovistae evitatur et aptior etymologia nominis יִשְׁמָעֵאל monstratur (v. 17: שָׁמַע אֱלֹהִים אֶל־קוֹל הַנַּעַר cf. supra §. 17). Verba denique v. 18: לְגוֹי גָּדוֹל אֲשִׂימֶנּוּ, quibus angelus numerosam Ismaëlis promittit prolem, similia referunt, quae saepe apud Elohistam legimus (cf. §. 3, 5), et aptior, quam apud Iehovistam, hic indigitatur etymologia nominis בְּאֵר לַחַי רֹאִי per verba v. 19: וַיִּפְקַח אֱלֹהִים אֶת־עֵינֶיהָ וַתֵּרֶא בְּאֵר מָיִם, ita, ut significet: puteus per quem postquam conspectus est, vita est sustentata, quam quidem explicationem compilator omisisse videtur.

§. 22.

Abi-Melechi foedus cum Abrahamo.

Sectio 22.

Genes. XXI, 22—34. אלהים. Quid de hac sectione sentiant interpretes, modo §. 21 diximus, et satis liquet, eam ab Elohista esse profectam, si tautologiam dictionis respicis et coniunctionem quae inter hoc fragmentum intercedit et cap. 20, quod eidem Elohistae vindicavimus. Haec vero sunt quae narrat poëta. Abi-Melechus, rex ille Gerari, ad Abrahamum venit, Phichole, exercitus sui duce comite, ut foedus cum eo faceret; quod cum acciperet Abrahamus, invicem donis armen-

torum se ornant, et patriarcha *septem agnas* secernit (v. 28) pro foedere feriendo immolandas; quamobrem locus ille, ubi Abrahamus puteum foderat et arbores severat, nomen accepit בְּאֵר שֶׁבַע, h. e. si nostro credis, vel: puteus septem agnarum (בְּאֵר שֶׁבַע כִּבְשֹׂת הַצֹּאן) vel: puteus iuris iurandi, (v. 31: כִּי שָׁם נִשְׁבְּעוּ שְׁנֵיהֶם) apud quem Abrahamus et Abi-Melechus foedus sanciverant. Eundem mythum fere eodem modo, sed brevius, narrat Iehovista Genes. 26, 26 sqq. de foedere ab Isaaco cum Abi-Melecho icto, cui rei ibi etiam adiungitur etymologia nominis בְּאֵר שֶׁבַע. Compilatorem denique ab auctoribus narrationum quas liber Geneseos complectitur originariis esse diversum, hic etiam edocemur, cum hoc fragmentum a capite 20, quocum quam arctissime cohaeret, secreverit.

§. 23.

Isaacus Deo immolandus.

Sectio 23.

Genes. XXII, 1—24. אלהים et יהוה a compilatore coniuncti.

Vix mirum est, quod de hoc capite magis fere quam de ullo alio dissentiant interpretes, cum hic primum compilator noster ausus sit unum eundemque mythum e duabus duorum auctorum narrationibus componere et quasi conglutinare. Astruc quidem et Eichhorn in eo consentiunt, quod comm. 1—10 Elohistae, comm. 11—19 Iehovistae faciunt; sed Astruc v. 20–24 tertii cuiusdam incerti auctoris esse dicit, quae Eichhorn ab Elohista vult profecta esse; sed Ilgen, qui in hoc postremo cum Eichhornio consentit, reliqua commata tantum non omnia media fere discerpit atque singulas partes inter Elohistam suum secundum et Iehovistam dividit. Nos quod de fragmento huius capitis minori, v. 20–24, statuamus nihil habemus, quia cum nullo alio satis cohaeret, nisi

quod haec de familia Nachoridarum narratiuncula a compilatore satis apte hic est inserta, quia postea ad eam erat respiciendum, ubi (Genes. 24) Isaacus Rebeccam, Nachoris neptem et Bethuelis filiam, uxorem ducit; ex analogia quidem, quia maxima pars genealogiarum quas Genesis exhibet Elohistae debetur (cf. supra §. 11 ad Genes. 10), suspicaremur, etiam huius fragmenti, cum rebus ex utraque parte hic proximis non cohaerentis, auctorem esse Elohistam. Fragmentum maius, v. 1—19, quale nunc habemus, in singulis partibus vinculo satis arcto iunctum est, indolem vero utriusque auctoris originarii haud obscure monstrat; unde colligimus, et Iehovistam et Elohistam hunc mythum ita tradidisse, ut inter duas narrationes parum interfuerit, compilatorem vero pro lubitu utramque ita iunxisse, ut, transitu non satis perspicuo, Elohistam, quem primum secutus est, reliquerit et ad Iehovistam transierit. Sed iam ad narrationem, quae infra ad cap. 37 (§. 38) egregio nobis erit exemplo, accuratius perlustrandam nos convertamus. Deus (v. 1. האלהים) Abrahamum tentavit dicens: Sume filium tuum *unicum*, *quem deamas*, Isaacum, et in terram Morijam profectus eum mihi immolato in monte quodam, quem ego tibi monstrabo. Hic tautologia verborum יְחִידְךָ אֲשֶׁר אָהַבְתָּ, quae, quamquam satis apta essent in homine de hoc postulato quaerente, minime tamen quadrant ad Deum, qui haec postulat nec sine acerbiore crudelitate haec dicere posset, aperte prodit Elohistam, quem porro etiam audimus singula quaeque narrantem de itinere Abrahami cum Isaaco et duobus servis, usque dum conspiciunt locum a Deo constitutum (v. 3: הַמָּקוֹם אֲשֶׁר אָמַר לוֹ הָאֱלֹהִים), servos relinquunt, cum patre filius ulterius procedit, quaeritque (v. 7): ubi sit agnus immolandus? pater vero respondet: Deus ipse sibi providebit agnum immolandum (v. 8: אֱלֹהִים יִרְאֶה לּוֹ הַשֶּׂה). Ita pergunt ire simul. Ubi in locum a Deo ei significatum perventum est, Abrahamus aram exstruit,

dispositisque lignis Isaacum, filium suum, constringit et imponit lignis, quae in ara sunt, deinde cultro manum admovet ad filium suum immolandum. Sed eum *Iehovae angelus* (h. e. *Iehova*) de coelo revocat (v. 11: מַלְאַךְ יְהוָֹה מִן־הַשָּׁמַיִם) dicitque: Noli puero manum adferre aut in eum quidquam committere; nam satis iam cognovi, te *Dei* esse cultorem (v. 12: כִּי עַתָּה יָדַעְתִּי כִּי יְרֵא אֱלֹהִים אַתָּה), qui *mea causa* ne a filio quidem *eoque unico* abstineas (וְלֹא חָשַׂכְתָּ אֶת־בִּנְךָ אֶת־יְחִידְךָ מִמֶּנִּי). Abrahamus deinde arietem conspectum pro filio suo immolat, locumque vocat יְהוָֹה יִרְאֶה (v. 14) h. e. Iehova videbit s. providebit, quibus verbis etymologia nominis Morijah (מֹרִיָּה) indigitatur, non sine hac auctoris explicatione addita: sicuti hodie dicitur בְּהַר יְהוָֹה יֵרָאֶה h. e. vel: in monte Iehova conspicietur, sc. Deus, vel: in monte Iehovae providebitur, sc. a Deo. — Abrahamum autem angelus Iehovae (מַלְאַךְ יְהוָֹה) iterum de coelo sic interpellat: Per me iuro, inquit Iehova (v. 16 נְאֻם יְהוָֹה), quoniam hoc fecisti, ut te ne ab unico quidem filio abstineres, (v. 17) et ego tibi benedicam et quam maxime augebo stirpem tuam ad multitudinem stellarum coelestium et arenae, quae est in litore maris, et perficiam, ut hostium suorum portis potiatur (v. 18) et ut sibi benedicant (beati evadant) per semen tuum omnes populi terrae, quia tu dicto mihi audiens fuisti. Deinde (v. 19) Abrahamus ad famulos suos rediit, et inde profecti ad Beer-Sebam pervenerunt, et ibi (iterum) habitavit Abrahamus. — Hactenus narratio, qualis nunc est, cuius singulas partes cohaerere nemo potest dubitare, qui e. c. respicit etymologiam nominis מֹרִיָּה, per hunc mythum celebrandi (v. 2 et 14), phrasin בִּנְךָ יְחִידְךָ v. 2. 12. 16. cett. Sed ad decimum comma usque compilator sequitur Elohistam; postea ad Iehovistam, praecipue v. 17. 18 praedictione solita messiana (§. 4, 3) insignem transit, sed usum vocis אֱלֹהִים non prorsus deserit, quae v. 12 ita legitur in eadem oratione cum

יְהוָֹה seu מַלְאַךְ יְהוָֹה connexa, ut ab his discerpi nequeat. Vix autem ac ne vix quidem credendum est, haec omnia tam bene inter se fuisse cohaesura atque consensura, si compilator tantum ad literam quae apud utrumque auctorem originarium invenerit verba descripsisset. Cum autem neutrius indolem eum in modum obliniverit, ut perspicere non possimus, alia compilatorem ab hoc alia ab illo esse mutuatum, hic in pervestiganda origine subsistendum putamus, cum iam nemo sit, qui accurate dicere possit, quaenam singula verba Elohistae, quaenam Iehovistae, quae tandem sint compilatoris.

§. 24.

Abrahamus sepulcrum emit hereditarium.

Sectio 24.

Genes. XXIII, 1 — 20. אלהים. Nulla prorsus de hoc fragmento est disceptatio inter viros doctissimos, Astrucquium, Eichhornium et Ilgenium, qui in eo omnes nobiscum conveniunt, quod hunc mythum Elohistae censent tribuendum, cuius indolem tautologia dictionis cum usu nominis אלהים coniuncta satis aperte monstrat. Narrantur autem haec: Mortua est Sara prope urbem קִרְיַת אַרְבַּע, quae est חֶבְרוֹן, et Abrahamus petit a Chittaeis (בְּנֵי חֵת), ut sibi fundum vendant, ubi mortuam sepelire possit. Chittaei respondent, hoc facere ei licere ubicunque velit, et Ephron (עֶפְרוֹן) fundum, quem cupit, dono dandum ei offert; sed Abrahamus fundum emere mavult, impetratque ut pro quadringentis siclis argenteis sibi vendatur. Haec verba auctoris v. 17—19 tanquam nimiae verborum copiae, qua uti solet, testimonia ad literam describimus: Ita Ephronis fundus, qui Machpelae (בַּמַּכְפֵּלָה) versus orientem a Mamre (לִפְנֵי מַמְרֵא), fundus et caverna, quae in eo est, et omnes arbores, quae circumquaque in toto eius spatio erant, Abrahamo sunt emancipati in possessionem, praesentibus Chittaeis

omnibus quotquot in portam urbis venerunt; et postea in caverna fundi, Machpela, versus orientem a Mamre, quae est Hebron, in terra Canaanaea, Abrahamus sepelivit Saram, uxorem suam. Non satis recte dicit auctor v. 19 מַמְרֵא הוּא חֶבְרוֹן, *Mamre, haec est Hebron*; nam supra, Genes. 14, 13 a Iehovista didicimus, מַמְרֵא esse nomen viri, cum Abrahamo foedere iuncti, in cuius terebintheto Abrahamus habitaverit. In regione vero huius terebintheti urbs Hebron fuisse videtur, ita ut de cursu temporis nomen possessoris in nomen regionis abiret, et Elohista idem sibi fingeret nomen urbis. In sepulcro hoc hereditario ab Abrahamo comparato ipse Abrahamus postea sepelitur (Genes. 25, 9 sqq.) et post eum Isaacus (Genes. 35, 29. — 49, 31), denique eodem corpus Iacobi defertur a filiis (Genes. 50, 13); haec omnia igitur loca, ubi huius sepulcri mentio est facta, Elohistae nostro debemus. Sed ipse etiam Elohista ad exemplum sepulcri per Abrahamum comparati finxit Genes. 33, 19 sqq. sepulcrum per Iacobum prope urbem Sichem emtum, in quo vero praeter Iosephum (cf. Ios. 24, 32) nemo quem sciamus sepelitur.

§. 25.

Rebecca per Abrahami servum e Mesopotamia accitur, ut Isaaco *nubat.*

Sectio 25.

Genes. XXIV, 1—67 (forsitan יהוה, a compilatore elaboratum).

Nulli dubitant Astruc, Eichhorn et Ilgen, quin hoc caput ne verbulo quidem excepto e tabula יהוה descriptum censeant, nos vero ut iis adstipulemur subdubitamus. Negari quidem nequit, omnem hanc narrationem optime inter se cohaerere, ita ut singulae partes revelli non possint, et nomen יהוה per omnem fere sermonem contextum frequenter legi, e. g. com. 1. 3. 7. 12. 26.

27. 31. 35. 40. 42. 44. 48. 50. 52. 57. *cett.* At, quis est omnium, qui hucusque nos disputantes sunt comitati, qui infitias ire audeat, hunc nominis יהוה usum, aliis saltem criteriis contradicentibus, pro argumento satis firmo minime posse haberi? Recte quidem dicetur, vocem אלהים, ubicunque in capite nostro legatur, nihil posse probare contra originem a Iehovista derivandam, cum numquam nisi in statu constructo deprehendatur, quem quidem vox יהוה induere nequit, v. c. com. 3: יְהוָה אֱלֹהֵי שָׁמַיִם וֵאלֹהֵי הָאָרֶץ; et recte etiam contendetur, יהוה in scriptis demum temporis serioris per ellipsin locum status constructi occupare, v. c. in phrasi illa notissima יְהוָה (אֱלֹהֵי) צְבָאוֹת, ubi אֱלֹהֵי desideratur. Non pugnamus etiam, si quis addere velit, criterium illud, quo poëta mythi nostri tam luculenter Israëlitam se prodit, odium dico, quo matrimonia Abrahamidarum cum exteris ineunda persequitur, alias etiam apud Iehovistam inveniri, et ex nostra quidem sententia ut hoc probetur recte Genes. 26, 34. 35 nominari posset. Sed hic locus nec apud Astrucquium nec apud Eichhornium nec denique apud Ilgenium quidquam valuit, in quem tamquam parallelum provocarent ad sententiam suam de capite 24 confirmandam: omnes enim locum Genes. 26, 34. 35. Elohistae esse contendunt; et insuper monendum est, eiusdem odii vestigia etiam apud Elohistam alio in loco (Genes. 28, 8. 9), quem ei deberi nemo negabit, inveniri. Ex hoc igitur odio non magis quam ex usu nominis יהוה satis certo demonstrari poterit, caput nostrum a Iehovista esse profectum; sed contra hanc sententiam haec sunt dicenda:

1) Nullum est in tota narratione vestigium nec anthropomorphismi nec anthropopathismi nec theophaniae nec miraculi, quorum omnium Iehovista alias est studiosissimus; sed omnia more humano ac fere solito inter homines solos peraguntur.

2) Totum fragmentum tantopere laborat tautologia

illa atque verborum copia, quibus Elohista insignis esse solet (cf. §. 3, 1), ut non parva pars narrationis bis legatur, (cf. v. 35—48 cum praecedentibus), cuius rei per omnem librum Geneseos hoc unicum habemus exemplum.

Quae cum ita sint, non pudet nos fateri: Non liquet, quid de origine huius capitis statuamus; augurari tantum licet, duplici modo eam quam nunc habet formam induere potuisse: vel ita, ut compilator fragmentum quoddam *Iehovistae* elaboraret ex suo ingenio, idque frequentibus ornaret tautologiis; vel ut idem compilator fragmentum *Elohistae* in eo tantum mutaret, quod ubicunque pro אֱלֹהִים scriberet יְהוָה. Harum sententiarum prior ad veri speciem propius nobis videtur accedere, praesertim cum posterioris ratio probabilis non liqueat, non prorsus absonum vero sit sumere, textum originarium a serioris temporis scriptore si non rebus, tamen verbis esse auctum, rem autem omnino ad liquidum perduci posse desperamus. Sed iam superest, ut paucis argumentum huius mythi enarremus. Abrahamus senex servum domus suae seniorem iureiurando obstringit, ut Isaaco filio uxorem e Mesopotamia arcessat, e gente Nachoridarum, neque filium eo redire sinat, unde Iehova (cf. supra Iehovistam cap. 12, 1 sqq.) Abrahamum eduxerit in terram, quam stirpi eius sit daturus (v. 1—9). Servus statim profectus ad urbem Nachoris pervenit, sistensque camelos ante portam ad puteum precatur, ut Iehova sibi monstret virginem pro filio herili ducendam, signis additis, quibus eam agnoscere velit (v. 10—14). Cum vix finem fecisset dicendi, Rebecca appropinquat, nata ex Bethuele, filio Milcae, coniugis Nachoris, fratris Abrahami (cf. supra cap. 22, 20 sqq.); servus eam appellat, atque benigne ab ea exceptus omnia cognoscit signa, quae a Iehova petierat (v. 15—21), quam quidem rem forsitan miram atque Iehovista non indignam dixeris. Cumque cognovisset servus, cuius

filia sit, ab ea invitatus et a fratre eius Labane domum est deductus, ubi tamen cibum se negat capturum, nisi prius negotium suum proposuerit (v. 22—33). Post veniam dicendi impetratam, omnem illam quam modo audivimus historiam fuse et fere ad verbum repetit (v. 34—48), denique rogat, ut virginem sibi tradant uxorem filii herilis futuram; illisque annuentibus et puella consentiente, servus postero mane eam abducit, matre fratreque Rebeccae fausta precantibus (v. 49—60). Quae hic leguntur verba in mentem revocant similia illa, uti videtur, a *Iehovista* profecta, Genes. 22, 17: Quam maxime augebo progeniem tuam, multitudinis instar stellarum coelestium et arenae, quae est in litore maris; *et occupabit semen tuum portas hostium suorum* (וְיִרַשׁ זַרְעֲךָ אֵת שַׁעַר אֹיְבָיו); haec enim optantes prosequuntur Rebeccam, v. 60: Prolem tibi, nostra soror, optamus centies centenariam millenariam, et eam quidem, *quae hostium suorum portas obtineat* (וְיִרַשׁ זַרְעֵךְ אֵת שַׁעַר שֹׂנְאָיו). Sed nemo infitias ibit, etiamsi ab auctore originario haec verba non fuerint scripta, compilatorem ex loco laudato ea huc trahere potuisse. — Servus deinde Rebeccam salvam deducit ad Isaacum, qui ex ea solatium capit de matris suae morte (v. 61—67), qua re simul significatur, compilatorem recte hanc narrationem post illam collocasse, quam secundum Elohistam Genes. 23 de morte Sarae tradiderat.

§. 26.

Filii Abrahami e Ketura, et filii Ismaëlis.

Sectio 26.

Genes. XXV, 1—18. אלהים. De hac sectione virorum doctorum sententias tantopere inter se esse diversas, eo magis miramur, quo facilius nostram defendi posse putamus. Astruc quamquam v. 1—11 Elohistae tradit, reliqua tamen eius esse negat atque incerto cui-

dam auctori tribuit; Eichhorn v. 1—7 et 12—18 Iehovistae, reliqua Elohistae esse contendit; Ilgen denique v. 1—10 et 12—20 ab Elohista suo priori, v. 11 a posteriori repetit; nos vero cur v. 1—18 omnia ab Elohista profecta sentiamus, paucis expedire poterimus. In universum denuo monere licet (cf. supra §. 11 ad Genes. 10), genealogias libri Geneseos, nisi forte duplices traduntur eorundem hominum, plurimas Elohistae deberi; sed non desunt etiam vestigia nexus, qui inter hanc nostram et alias quas merito Elohistae tribuimus sectiones intercedit. Hic vero v. 1—11 omnia vinculo arctissimo inter se cohaerent, et haec narrantur: Abrahamus uxorem ducit Keturam, ex qua septem tollit filios, quorum filii etiam enumerantur; omnes hos magnifice donatos dimittit, ne oneri sint Isaaco, et moritur annos 175 natus; filii vero eius Isaacus et Ismaël eum sepeliunt in caverna Machpela, quam cum agro, in qua est, ab Ephrone emerat (cf. v. 9. 10); post eum vero mortuum Deus propitius est Isaaco, filio eius (v. 11). Mentio illa sepulcri hereditarii ab Abrahamo comparati respicit ad narrationem Elohistae, Genes. 23; igitur etiam hic locus, qui in ipsa tautologia ad verbum consentit cum Genes. 23, 17—19 (cf. supra §. 24), ab Elohista est derivandus. — Deinde compilator v. 12—18 nostri capitis, ut postea sine ullo impedimento ad historiam Isaaci filiorumque eius transire possit, Ismaëlis progeniem atque mortem narrat; qua autem in re eum traditione Elohistae uti, haec verba diserte monstrant v. 16: Hi (duodecim) filii sunt Ismaëlis, haec nomina eorum secundum vicos eorum atque castella; *duodecim principes erunt gentium suarum* (שְׁנֵים עָשָׂר נְשִׂיאִם לְאֻמֹּתָם). Haec enim verba respiciunt ad praedictionem illam Dei, quam apud *Elohistam* legimus his verbis cap. 17, 20: Quod vero Ismaëlem attinet, etiam te exaudivi; en favebo ei et fetificabo et augebo eum quam maxime; duodecim principes procreabit et faciam eum populum magnum (שְׁנֵים עשׂר

נְשִׂיאִם יוֹלִיד וּנְתַתִּיו לְגוֹי גָּדוֹל). Luce clarius est, utrumque locum ad verbum sibi respondere, utrumque igitur ab eodem auctore esse profectum.

§. 27.

Isaaci et Rebeccae filii gemelli, Esavus et Iacobus.

Sectio 27.

Genes. *XXV*, 19—34. יהוה. Parum a trium interpretum de hac sectione sententia differt nostra: Astruc enim totam Iehovistae tradit; Eichhorn et Ilgen idem fere sentiunt, sed Eichhorn excipit comm. 19. 20, quae Elohistae esse contendit, et Ilgen comm. 19. 20 finemque commatis 26 ab Elohista priore repetit. Reliqua dum ab Iehovista deriventur, non ita acriter pugnamus cum iis, qui comm. 19 et 20 spuria esse contendunt; cumque per se pateat, compilatorem ea ab alio quodam esse mutuatum, vix operae pretium esse videtur quaerere, unde additamentum sumserit. Compilatori soli danda videntur haec verba v. 19: Haec est historia Isaaci, filii Abrahami; Abrahamus genuit Isaacum. De nativitate enim Isaaci supra cap. 21, 1 sqq. fusius erat dictum; compilator vero hac inscriptione pro more suo (cf. §. 5, 1) utitur ad novam historiae partem inchoandam atque a proximis discernendam. Quae subsequuntur v. 20: Isaacus quadraginta annos erat natus, cum sumeret Rebeccam, filiam Bethuelis Aramaei e Mesopotamia, sororem Labanis Aramaei, sibi uxorem, ab Elohista sumta esse videntur, qui fortasse haec tantum dicebat de coniugio Isaaci, de quo fusius narraverat Iehovista, si licet huic prima stamina capitis 24 tribuere. Haec verba indolem etiam produnt Elohistae, non modo per tautologiam dictionis, sed etiam, quia hic Mesopotamia nominatur פַּדַּן אֲרָם, quo nomine, uti supra (§. 3, 4.) docuimus, Elohista solus utitur. Reliqua vero omnis narratio v. 21—34, uti permulta monstrant argumenta

interna, Iehovistae debetur, et ne verbulo quidem interposito subiungi potuisset loco Genes. 24, 67. Argumentum hoc est: Isaacus pro uxore sua sterili Iehovam exoravit; cum vero conciperet, fetusque in utero conflictarentur, Rebecca de hac re oraculum Iehovae adit et hoc refert responsum (v. 23): Duae sunt gentes in ventre tuo, duoque ex utero tuo populi dividentur, quorum alter altero plus poterit, minorique serviet maior. En solitum odium, quo Iehovista populos Israëlitis infensos persequitur (§. 4, 4. b.) *Maior* enim significat Esavum seu Edomum, in partu prius prodeuntem, et posteros eius, Edomitas, hostes Israëlitarum; *minor* vero indigitat Iacobum et posteros eius, Israëlitas. Deinde in partu (v. 25) prior prodit rufus (אַדְמֹנִי, qua voce nomen אֱדוֹם significatur) et villosus, Esavus, posterior (v. 26) manu calcem (עָקֵב) fratris tenens, Iacobus, qua re simul indigitatur etymologia nominis יַעֲקֹב, et haec omnia in mentem nobis revocant Iehovistae morem mythos effingendi, quibus nomina propria explicet (cf. §. 4, 4. b.) E pueris postea adultis Esavus venator patri carior erat, matri vero, qui apud eam manebat domi, Iacobus. Hic cum quondam lenticulas coxisset, Esavus, qui rure lassus redierat, dixit: Da mihi de rufo isto! unde, uti poëta vult, nomen Edomi invenit (v. 30: הַלְעִיטֵנִי נָא מִן הָאָדֹם הָאָדֹם, — et porro: עַל־כֵּן קָרָא שְׁמוֹ אֱדוֹם). Iacobus vero negat, se daturum quod velit, nisi *praerogativam aetatis (primogenituram* dicunt, si venia est verbo) Esavus sibi vendat pro lenticulis. Cui cum Esavus annuisset, auctor vituperans (v. 34) animi levitatem, qua praerogativam contemserit, nil aliud dicere vult nisi: Iacobus astutus iure meritoque sumsit, quod fortuna fratri dederat. Sic omnia apud Iehovistam favorem produnt quo Iacobum ornat, et odium quo Esavum persequitur; neque in criteriis quae hic invenimus Iehovistae enumerandis est omittenda secunda illa etymologia nominis אֱדוֹם, quam v. 30 a lenticulis *rubicundis* derivavit.

§. 28.

Isaacus apud Abi — Melechum, regem Gerari, qui post iurgia foedus cum eo facit.

Inde a capite 26 Compilator magis magisque verba auctornm, quos sequitur, genuina mutasse et vix indolem narrationum intactam reliquisse videtur, ita quidem ut disquisitio de singularum partium origine abhinc magis magisque evadat difficilis. Praesertim Compilator Iehovistae brevitatem et simplicitatem ex suo ingenio mutasse et copia verborum auxisse videtur, ut Elohistae similior evadat, cuius rei statim exemplum praebebit caput 26, de quo iam dicturi sumus. Quamquam enim nihil tradat praeter narrationes superioribus duabus quas Genes. 12, 10 sqq. (cf. Genes. 20) et Genes. 21, 22 sqq. legimus accommodatas, et facile hic etiam Iehovista discernatur, tamen e copia verborum paene Elohistam auctorem suspicati essemus. Vario modo interpretes hoc caput diviserunt: Astruc v. 1 — 33 a Iehovista, v. 34. 35 ab alio quodam, non tamen ab Elohista, cui Eichhorn et Ilgen haec tribuunt, repetit, Eichhorn etiam v. 1—33 Iehovistae esse contendit, sed Ilgen haec commata ita disscindit, ut com. 1. 5. 7. 8. 9. 10. 11. 15. 18 cum partibus nonnullis comm. 3. 4. Elohistae suo secundo, cetera omnia Iehovistae tradat. Sed accuratius nunc nostram de utraque narratione sententiam explicabimus.

Sectio 28.

Genes. XXVI, 1—16. יהוה. Iehovista suam ipsius narrationem imitatur, quam supra cap. 12, 10 sqq. legimus, quamque si cum nostra comparaveris facile videbis, utramque ab uno eodemque auctore esse profectam. Ad illam enim respiciunt verba, quae hic v. 1 leguntur: Exstitit autem in ea regione fames altera, praeter superiorem illam, quae temporibus Abrahami (Genes. 12, 10) fuerat. Quae subsequuntur eiusdem sunt indolis: uti supra Gen. 12, 10 Abrahamus in Aegyptum

se confert, ita hic Isaacus viam quae eo ducit ingressus eodem tendere videtur; cum autem ad Gerarum usque, quod Palaestinam inter et Aegyptum situm est, pervenisset, Iehova ei apparuit (וַיֵּרָא אֵלָיו יְהוָֹה, phrasis Iehovistae propria, cf. supra §. 4, 5) eumque monuit, ut in hac regione maneret neque in Aegyptum descenderet, praedictione simul apud Iehovistam solita (v. 3. 4 cf. §. 4, 3) de prole augenda omnibusque populis per eam beandis addita. Isaacus igitur ibi est commoratus, uxorem vero suam, veritus ne propter eam rapiendam ipse interficeretur, sororem esse dixit; Abi-Melechus autem, rex Gerari, non quidem adduci eam iussit, uti supra apud Iehovistam Genes. 12, 15 Pharao Saram, et apud Elohistam Genes. 20, 3 Abi-Melechus eandem Saram, sed certior factus de vera rei conditione, Isaaco mendacium exprobravit (v. 9), monstravit, quantum periculi ei infuerit, et sub poena capitis omni populo suo edixit (v. 11), ne quis Isaacum aut uxorem eius laederet. Non multo post autem, cum Isaacus ibi sereret et magnam opum vim cumularet, Abi-Melechus eum iussit a se discedere, quod longe Philistaeis esset potentior.

Sectio 29.

Genes. *XXVI*, 17—33. יהוה. Isaacus in valle Gerarensi tentoria figit, puteos complures fodiendos curat, sed rixa de eorum possessione inter pastores eius et Philistaeos saepius orta, varia his puteis addit nomina (v. 20. 21. 22), quorum etymologia, ab altercationibus illis derivata, indolem Iehovistae in mythis fingendis more solito (§. 4, 4. a) monstrat. Deinde Abi-Melechus, comitante Achusato amico et Phichole duce exercitus sui (v. 26), eo consilio ad Isaacum venit, ut foedus cum eo feriat, quod fit iureiurando invicem dato. Eodem autem die, sic pergit noster v. 32, ad Isaacum servi veniunt, eumque de puteo, quem fodiebant, certiorem faciunt, et sese aquam invenisse docent; quem puteum (§. 33) Isaacus Sibah (שִׁבְעָה) vocat; eamque ob

causam nomen urbis est בְּאֵר שֶׁבַע ad hunc usque dien
Quis est qui non videat, narrationem hanc esse opposi
tam illi, quam Elohista Genes. 21, 22—34 tradidit d
foedere inter Abi-Melechum et Abrahamum icto? Utrius
que quidem auctoris Abi-Melechus, rex Gerari, idei
esse videri posset diversitatis temporum rationem no
habentibus, praesertim cum utrique socius idem sit ad
ditus, dux ille exercitus Phichol (cf. 21, 22 cum Gene
26, 26); sed hic etiam accedit (v. 26) אֲחֻזַּת, amicus re
gis, et minime dare possumus, arbi בְּאֵר־שֶׁבַע primur
a foedere Abrahami, deinde iterum a foedere Isaaci no
men esse additum. Nihil ad rem facit, quod propiu
ad veritatem accedimus sumentes, urbem a septem fon
tibus illi propinquis nomen traxisse, et quod nequ
Abrahami neque Isaaci temporibus urbem hanc exsti
tisse credendum est; hoc tantum erat demonstrandum
utrumque mythum ab uno eodemque auctore profectur
esse non posse; itaque, cum alter aperte Elohistae in
dolem prodat, alterum Iehovistae deberi. — Additamen
tum denique v. 34. 35 de Esavo quadraginta annos nat
uxores duas e Chittaeis ducente, quae parentibus eiu
displicuerint, non arcte quidem cohaeret cum praeceden
tibus, sed optime tamen convenit cum loco Iehovista
Genes. 27, 46, ubi Rebecca dicit, se Chittaeas aversar
et pugnat cum loco Elohistae Genes. 36, 1 sqq., ub
aliae Esavi uxores nominantur. His omnibus igitur ra
tionibus commoti putamus, haec etiam commata Ieho
vistae recte posse tribui.

§. 29.

Benedictio patris per Iacobum Esavo erepta.

Sectio 30.

Genes. XXVII, 1—46. יהוה. Nulla fere est inter
pretum de hoc capite dissensio: totum enim ASTRU
cum EICHHORNIO a Iehovista repetit, nec contradici

GEN, qui ultimum comma 46 Elohistae suo priori tradi
ıvult, sed immerito, uti infra videbimus. Haec nar-
t poëta: Isaacus prae senio caecutiens Esavum iubet
ɔi parare pulpamentum e carne ferina, ut edat et filio
nedicat. Qui cum venatum exisset, Rebecca Iaco-
m iubet haedum sibi adferre, pulpamentum parat, Ia-
bo induit vestimenta Esavi, manuum et cervicis laevo-
m haedorum pellibus tegit, ita ut Esavus haberi pos-
. Intrat Iacobus ad patrem, huic persuadet, se Esa-
m esse, atque benedictionem accipit, quam senex
imogenito destinaverat, hanc praesertim (v. 29): Tibi
rviant nationes, te populi colant; *dominus* esto fratrum
ɔrum, teque colant ex eadem tecum matre nati. Post-
am autem Iacobus discesserat, Esavus ex venatione
dit, patri carnem ferinam parat comedendam, sed
ıgno terrore percellitur ad verba patris v. 35: Frater
us, callide me aggressus, tuam benedictionem prae-
ɔuit! respondetque Esavus v. 36: Nae, ille merito
cobus (יַעֲקֹב) nominatur, qui me iam bis supplantavit
(וַיַּעְקְבֵנִי זֶה פַעֲמַיִם): primum enim meae aetatis praero-
tivam intervertit, deinde nunc meam benedictionem
tercepit. Sed tamen nullamne mihi benedictionem re-
ıuam fecisti? Negat pater, se vel eandem vel tam
aeclaram dare posse, quam Iacobo dederit; enixius
item flagitanti haec dicit v. 39: Tua quidem sedes
rrae pinguedine et supero coeli rore carebit, gladio-
ıe victum parabis et fratri tuo servies; sed eveniet,
. 40) cum contra nisus fueris, eius iugum de cervice
a excuties. Haec omnia Iehovistam indicant auctorem:
c enim non modo eundem, quem supra Genes. 25,
sqq. Iacobi astuti monstrat favorem, eandem Esavi
vidiam, sed disertis etiam verbis v. 36 Esavum facit
spicientem ad dolum, quo Iacobus (cap. 25, 31 sqq.)
aerogativam aetatis emerat. Accedit etiam nova no-
inis יעקב etymologia, (v. 36, cf. supra §. 4, 4. a) ac
perstitio rebus miris favens (§. 4, 2), qua Iehovista

persuadere nobis cupit, Isaacum benedictionem impostori datam revocare atque in filium primogenitum convertere non potuisse, quod quidem Isaacum ipsum sibi finxisse non magis credi potest, quam patriarcha fatidicus, enuntians dominationem Israëlitarum in Edomitas, (v. 29) quae demum Davide regnante evenit, et Edomitas rebellantes et iugum excutientes (v. 40), qui Ioramo demum filio Iosaphati Hierosolymis imperante defecerunt. Sed iam ad narrationem revertamur. Esavus, ira commotus, minatur, fratrem a se interfectum iri; Rebecca vero filium dilectum admonet, ut ad fratrem suum Labanem confugiat ibique maneat, dum frater sit pacatus (v. 41–45); Isaaco autem dicit (v. 46): Vitae me taedet propter filias Chittaeorum (קַצְתִּי בְחַיַּי מִפְּנֵי בְּנוֹת חֵת); quod si Iacobus quoque uxorem duceret e filiabus Chittaeorum, quales hae sunt, e filiabus huius regionis, cur tandem diutius viverem? Optime haec quadrant tum ad narrationem, quam modo legimus, tum ad superiora poëtae nostri fragmenta. Supra enim cap. 26, 34. 35 narraverat, Esavum uxores duxisse e filiabus Chittaeorum, quae Isaaco et Rebeccae displicuerint; apte igitur matrem, quae non audet odium quo filii inter se flagrant patri patefacere, praetexto hoc facit utentem, sub cuius specie Iacobum Mesopotamiam dimittere possit; neque veritatis specie aliqua caret, quod Rebecca, a Nachoridis ipsa oriunda (cf. cap. 24) optaverit, ut Iacobus, filius dilectus, inde uxorem sibi caperet. Haec omnia suadent etiam comma 46 cum praecedentibus coniungendum et Iehovistae esse tribuendum.

§. 30.

Iacobus, a patre dimissus, in Mesopotamiam profecturus ad regionem Beth-El usque pervenit.

Singula si comparamus fragmenta quae inde a principio cap. 28 ad finem usque cap. 35 sequuntur, magis magisque confirmatur suspicio, de historia Iacobi apud

utrumque auctorem, et Elohistam et Iehovistam, fere eiusdem argumenti traditiones exstitisse, (cf. infra §. 33 in fine) quas compilator ita coniungendas curaverit, ut primo obtutu unam quasi historiam efficere viderentur, et ut, quo ulterius progrederemur, eo difficilius evaderet iudicatu, quid cuique auctori originario sit tribuendum, praesertim cum compilator, uti supra (28) indigitavimus, ex suo ingenio nonnumquam modum dicendi auctoribus proprium mutaverit. Sed praeter illa quae adhuc vidimus auctorum dignoscendorum criteria alia etiam nonnulla hic accedunt, v. c. quod Elohista solus utitur voce יִשְׂרָאֵל et quod in origine huius nominis narranda differt ab Elohista. In capite 28, 1—22, ad quod primum accedimus, compilator quidem varias utriusque tabulae narrationes coniunxit, ita tamen, ut utraque satis aperte originis suae indolem proderet. Astruc v. 1—5 et v. 10—22 ab Elohista, v. 6—9 ab incerto quodam auctore derivanda putat; Eichhorn v. 1—9 et v. 12. 17, partemque commatum 18. 19. 20. 21. ab Elohista, reliqua vero a Iehovista repetit; Ilgen denique v. 1—9 Elohistae suo priori tribuit, quae supersunt commata singula fere atque dimidiata inter Elohistam secundum atque Iehovistam distribuit. Hoc igitur potissimum erit demonstrandum, duas quidem hic haberi diversorum auctorum narrationes, in utraque autem singulas partes vinculo satis arcto inter se esse coniunctas.

Sectio 31.

Genes. XXVIII, 1—9. אֱלֹהִים. V. 1: Tum Isaacus Iacobum vocat *eique benedicit* his praeceptis additis: Nolito uxorem ducere ex Canaanaeis (v. 2), sed in Mesopotamiam, domum Bethuelis, tui ex matre avi, cedito, et uxorem ex Labanis avunculi tui filiabus sumito. Quam aptissime sic incipit compilator, tanquam verba tradens, quibus Isaacus verbis Rebeccae Genes. 27, 46 responderit; at statim Elohistae indolem prodit, cui proprium est Mesopotamiae nomen, quod v. 2 legimus

(לֵךְ פַּדֶּנָה אֲרָם, cf. §. 3, 4.). Pergit Isaacus v. 3: Et Deus omnipotens tibi faveat (אֵל שַׁדַּי יְבָרֵךְ אֹתְךָ cf. §. 3, 4 de אֵל שַׁדַּי phrasi Elohistae propria) teque tanta sobole augeat, ut in multiplices populos evadas (cf. §. 3, 5 de hac phrasi in benedicendo ab Elohista adhibita), eodemque (v. 4) quo Abrahamum studio tam te quam stirpem tuam prosequatur, ut in tuae peregrinationis terrae possessionem venias, quam Deus Abrahamo dedit. Ita (v. 5) dimissus ab Isaaco Iacobus in Mesopotamiam (פַּדֶּנָה אֲרָם) ad Labanem, Bethuelis Aramaei filium, Rebeccae, matris Esavi et Iacobi, fratrem, ire contendit. Singulae quas notavimus phrases non minus quam tautologia, quam eandem apud Elohistam supra cap. 25, 20 legimus, Elohistam hic indicant auctorem, apud quem haec benedictio, ab Isaaco Iacobo tributa, ita unica fuisse videtur, ut nihil sciat de mytho illo, quem Iehovista narravit cap. 27, de Iacobo per fraudem patris benedictionem sibi vindicante. Neque etiam cohaeret haec Elohistae narratio cum locis illis Iehovistae Genes. 26, 34. 35. 27, 46, ubi de uxoribus Esavi erat e *filiabus Chittaeorum* ductis; sic enim pergit noster v. 6: At Esavus, ubi animadverterat, Isaacum Iacobo fausta precatum esse eumque in Mesopotamiam misisse (פַּדֶּנָה אֲרָם) ad uxorem inde sibi ducendam et, ne de filiabus Canaanaeorum (מִבְּנוֹת כְּנָעַן) duceret, vetuisse; (v. 7) illum autem, parenti utrique obsequentem, in Mesopotamiam profectum esse; (v. 8) cumque videret Esavus, *filias Canaanaeorum* displicere patri suo, (v. 9) Esavus se contulit ad Ismaëlem, sumsitque Machalatham (אֶת־מָחֲלַת) filiam Ismaëlis, filii Abrahami, sororem Nebajothi (אֲחוֹת נְבָיוֹת), praeter eas quas habebat uxores sibi in matrimonium. Hic non minus quam antea tautologia dictionis Elohistam monstrat auctorem, unde colligere licet, apud hunc traditionem exstitisse de Esavo filias Canaanaeorum in matrimonium ducente, quae nisi re, tamen verbis diversa fuerit ab alia illa narratione Ieho-

vistae de uxoribus Esavi e Chittaeis, posteriorem vero solam, priore illa oppressa, a compilatore nobis esse traditam. Neque tamen silentio tegere possumus, hac in re nos contradictionibus offendi, quas negligentiae compilatoris tribuendas putamus: infra enim Genes. 36, 1 sqq. apud Elohistam uxores Esavi e Canaanaeis, diversae quidem a Chittaeis, quas Iehovista Genes. 26, 34. 35 nominaverat, sed eaedem etiam בְּנוֹת חֵת enumerantur, et praeter eas, uti hic v. 9, Nebajothi soror, filia Ismaëlis, cui tamen non est nomen מָחֲלַת sed בָּשְׂמַת. Cum autem et Genes. 28, 1—9 et Genes. 36, 1 sqq. multis aliis argumentis satis validis Elohistae possit vindicari, non est quod errores hos inextricabiles magni faciamus.

Sectio 32.

Genes. XXVIII, 10—22. יהוה. Facilior ac praecedente brevior esse poterit demonstratio, qua efficere conabimur, hoc fragmentum Iehovistae deberi. Inscriptio quidem, qua hanc narrationem ornavit compilator: Iacobus a Beer-Seba profectus in regionem Haran se contulit, non ad ipsa Iehovistae verba ultima Genes. 27, 46 respicit, sed ad domicilium tamen Isaaci, quod ille, auctore Iehovista (Genes. 26, 23) Beer-Sebae fixerat, unde nunc Iacobus parentibus relictis in Mesopotamiam contendit; neque est praetermittendum, quod Mesopotamia hic non פַּדַּן s. פַּדַּן אֲרָם, uti apud Elohistam, sed חָרָן audit, quam vocem saepe apud Iehovistam hac notione legimus (cf. Genes. 12, 4. 5. 27, 43. 29, 4.). Iacobus deinde, sub divo pernoctans, in somnio scalam conspicit, per quam angeli in terram descendunt et in coelum redeunt, et Iehovam super ea stantem, qui Iacobo se cognoscendum praebet tanquam deum Abrahami et Isaaci et denuo promittit, quae apud Iehovistam solet (§. 14, cf. §. 4, 3.) de prole Abrahamidarum augenda et omnibus populis per hanc beandis, simulque addit (v. 15) se Iacobum comitaturum et in hanc terram (Canaanaeam)

reducturum neque unquam deserturum. Iacobus e somno expergefactus locum, in quo Iehovam habitantem senserat, nominat בֵּית־אֵל, et saxum, cuius caput oleo perfuderat, in cippum erigit (וַיָּשֶׂם אֹתָהּ מַצֵּבָה, v. 18). Postea videbimus, quantum haec omnia faciant ad Iehovistae narrationes ab Elohistae discernendas. Sed si quis esset, qui ex promisso illo messiano v. 14 nondum sibi persuasisset, fragmentum nostrum Iehovistae deberi, hunc sane convinceret anthropopathismus (cf. §. 4, 1), quem et in verbis Iacobi, v. 16: Sane, Iehova est in hoc loco, ego vero hoc nesciebam! et in voto conspicimus, quod his verbis suscipit v. 20: Si mihi adfuerit Deus (אִם יִהְיֶה אֱלֹהִים עִמָּדִי) meque in hoc meo itinere conservaverit victumque mihi quo vescar et vestitum quo induar dederit (v. 21) et domum paternam si salvus rediero, erit mihi Iehova Deus (וְהָיָה יְהוָֹה לִי לֵאלֹהִים), atque hoc (v. 22) ex quo cippum erexi saxum domus Dei erit (יִהְיֶה בֵּית אֱלֹהִים), omniumque quae tu (Iehova) mihi dederis decumas tibi dabo. Classicus quem dicunt simul hic est locus, ex quo demonstretur, vicem nominum יהוה et אלהים pro criterio satis certo ad auctores diversos dignoscendos haberi non posse: hic enim in eadem oratione inter se connexa modo אלהים modo יהוה legitur, neque, quamquam totum ab Iehovista profectum esse necesse est, voce אלהים hic carere possemus.

§. 31.

Iacobus commoratur apud Labanem avunculum eundemque socerum suum.

Non negamus quidem, compilatorem in duobus his quae propter argumentum uno titulo comprehendimus capitibus Genes. 29 et 30 narrationem tabulae originariae alterius alteri coniunxisse; neque tamen in tot quot interpretibus placuit partes ea dissecanda censemus. Apud Astrucquium simplicissima est ratio distribuendi,

quae nobis etiam praeplacet; cap. 29 totum Iehovistae, cap. 30, 1 — 23 Elohistae, denique cap. 30 24 — 43 iterum Iehovistae tradit; de cap. 29 solo dissentimus. Eichhorn etiam totum caput 29, capitis 30 comm. 14 — 16, com. 20 dimidium, com. 24 dimidium, com. 25 — 43 Iehovistae esse contendit, eiusdem cap. 30 vero com. 1—13. 17. 18. 19 tota, com. 20 dimidium, com. 21. 22. 23 tota, com. 24 dimidium Elohistae. Ilgen cap. 29, 1 — 31 ab Elohista secundo repetit, commata huius capitis reliqua 32. 33. 34. 35 singula in ternas discindit partes, inter tres auctores suos dividendas; quomodo autem capitis 30 commata singula fere omnia in binas discerpserit partes, ut methodi quae ei placuit exemplum afferremus, supra §. 1 monstravimus. Nos vero, ut facilius duorum quae comprehendimus capitum indoles perspiciatur, in tres ea dividimus sectiones, quarum duas priores Elohistae, tertiam Iehovistae tribuendam censemus; denuo tamen monentes, non de singulis vocibus, quarum quam multae compilatori debeantur sciri nequit, sed de oratione contexta in universum posse iudicari.

Sectio 33.

Genes. *XXIX*, 1—29. אלהים. Iacobus ad Labanem venit et utramque eius filiam uxorem ducit.

Compilator secundum Elohistám tantum narraverat, Iacobum ab Isaaco esse dimissum (Genes. 28, 1 — 5); verba autem, quibus hic incipit v. 1: Iacobus pedes sustulit et in orientalium partes contendit, respicere videntur ad narrationem aliquam de itinere, cuius continuatio hic traditur. Num respiciat compilator ad Genes. 28, 22, ubi Iacobus surgit e regione Beth-El, ab interpretibus subdubitatum est; sed hoc nihil facit ad nos, cum Genes. 28, 10 — 22 a Iehovista sit derivandum. Illud autem de quo iam agimus fragmentum eo cohaerere videtur cum Genes. 28, 1 — 5, quod illic Iacobo praecipitur, ut uxorem e Nachoridis ducat, hic deinde res

vere ita evenit, nec sine Iacobi consilio (cf. v. 15 sqq.); Iehovista contra (cf. Genes. 27, 46) hoc Rebeccae de matrimonio consilium tantum matris praetextum haberi iubet, de filii salute anxiae, sub cuius specie hunc dimittat. Sed haec res quomodo se habeat, peritioribus relinquimus diiudicandum; e dictione saltem *tautologica* fragmenti nostri origo ab Elohista non inepte poterit demonstrari. Haec vero sunt, quae narrantur: Iacobus cum ad domicilium Nachoris appropinquasset, pervenit ad puteum ingenti saxo obstructum, quod pastores removere nequiverunt; cumque accederet Rachel, filia Labanis, cum pecore paterno, Iacobus surrexit ad opem ei ferendam; v. 10. Cumque Iacobus videret Rachelem, filiam Labanis, *fratris matris suae*, et pecora Labanis, *fratris matris suae*, tum appropinquavit Iacobus et removit saxum ab ore putei et adaquavit pecora Labanis, *fratris matris suae.* En Elohistae, cuius verba accurate descripsimus, tautologiam, omnia compilatoris additamenta superantem! — Deinde domum paternam Iacobus eam sequitur, a Labane benigne excipitur, post mensem praeterlapsum rogatur, ut mercedem aliquam laborum susceptorum sibi poscat. Poscit Rachelem uxorem pro septem annorum servitio; his vero peractis Laban uxorem suam flagitanti Leam pro Rachele supponit (v. 22) iratoque Rachelem etiam offert, si iterum per septem annos servire velit. Annuit Iacobus, et cum Rachele etiam congreditur, eamque magis amat quam Leam minus formosam. Nomen Dei nusquam hic legitur.

Sectio 34.

Genes. XXIX, 30 — XXX, 24. אלהים. Iacobus liberos suscipit e Lea, Bilha, Silpa et Rachel.

Huius fragmenti omnes singulae partes ad antecedens respiciunt, omnes inter se et cum illo cohaerent per nomina uxorum, quae Iacobo adduntur; eadem porro est dictionis tautologia, eadem per totum fragmentum ratio etymologiam nominum, quae liberis Iacobi dantur

propria, per verba aliqua matris post partum effata explicandi. In usu vero nominis Dei hoc fragmentum, si vere unum est, minime sibi constat: legimus enim יהוה cap. 29, 31. 32. 33. 35; אלהים cap. 30, 2. 6. 8. 17. 18. 20. 22. 23; יהוה v. 24. Sed hanc vicem nominum divinorum pro argumento bene coniuncta dissecandi haberi non posse, saepius monstratum est; cumque causa prorsus nulla se offerat, cur ad commata cap. 29, 31. 32. 33. 35 יהוה melius quadret quam אלהים, suspicari licet, compilatorem pro lubitu nomina mutasse, totumque fragmentum Elohistae deberi. Narrantur vero haec: *Iehova* cum videret (cap. 29, 31), Leam esse invisam, huic prolem dedit, Rachelem sterilem esse iussit, peperitque Lea filios tres, Rubenum, Simeonem et Iudam (v. 32—35). Rachel (cap. 30, 1) sorori invidens liberos a Iacobo postulat; qui cum respondisset, se Deo esse subiectum (v. 2: הֲתַחַת אֱלֹהִים), qui prolem ei negaverit, ancillam suam Bilham Iacobo tradidit in matrimonium, ex qua filios suscipit Dan et Naphthali (v. 3—8). At Lea videns, se parere desiisse, suam etiam ancillam Silpam Iacobo tradit, ex qua filii Gad et Asser gignuntur (v. 9—13). Deinde Rubenus, rus profectus, mandragoras invenit, et Rachel, ut hae sibi pro mercede traderentur, permisit, ut Iacobus cum Lea rem haberet (v. 14—16), quo facto Lea Issascarem peperit (v. 17) dixitque: Deus mihi pro tradita marito ancilla mercedem dedit (v. 18). Haec igitur verba non tantum ad v. 14—16 sed etiam ad v. 9 respiciunt; omnia una oratione sunt contexta, nec licet cum Eichhornio et Ilgenio v. 14—16 a ceteris rescindere. Deinde Lea filium parit Sebulonem et filiam Dinam (v. 19—21); v. 22 denique haec leguntur: Tum *Deus* (אלהים) Rachelis memor eam exaudivit eique uterum aperuit; (v. 23) et gravida facta filium peperit dixitque: *Abstulit Deus* opprobrium meum (אָסַף אֱלֹהִים אֶת־חֶרְפָּתִי); (v. 24) nomenque eius (filii) vocavit Ioseph (יוֹסֵף), haec dicens: *Addat* mihi *Iehova* filium

alterum (יהוה לי בן אחר). Duplicem hic habemus nominis יוסף etymologiam, alteram a verbo אסף *auferre*, cuius futur. apocop. pro יאסף etiam יסף scribitur (cf. Ps. 104, 29: תסף רוחם יגועון, aufers animum eorum, moriuntur), alterum a verbo יסף *addere*, fut. apoc. יוסף*). Hic igitur locus praeclarissimum nobis videtur exemplum rationis, qua compilator diversa diversorum auctorum fragmenta copulat et quasi conglutinat, cum non inepte sumatur, v. 23 esse Elohistae, cui compilator comma 24 e traditione Iehovistae fere eadem de liberis Iacobi narrantis addiderit, cui iam in animo erat quod statim erat daturus subsequens Iehovistae fragmentum. Alteram enim etymologiam cum altera posse coniungi, vel, quod idem est, unum eundemque auctorem fingere potuisse, a matre ad nomen filio dandum utramque phrasin esse adhibitam, tam ineptum est, ut concedi minime queat. Sed multum abest, ut de singulis vocibus pugnemus; quantum in utroque capite compilatori sit tribuendum, in medio relinquimus, hoc unum defensuri, verba Elohistae cum verbis Iehovistae per compilatorem in hoc loco esse coniuncta.

Sectio 35.

Genes. XXIX, 25 — 43. יהוה. Iacobus astute Labanem decipit magnamque pecorum vim acquirit.

In hoc fragmento non tantum bis legitur יהוה, v. 28. 30; sed prima statim verba satis luculenter demonstrant, etiam sequentia cohaerere cum v. 24; haec enim sunt: Postquam autem Rachel Iosephum pepererat, Iacobus dixit Labani: Da mihi meas coniuges meosque natos et permitte mihi, ut redeam in patriam meam. Utrumque hoc monstrare videtur, fragmentum nostrum

---

1) cf. de his verbis formas invicem mutuantibus *Exod.* 5, 7: לא תאספון לתת תבן לעם non porro dabitis *cett.* 1 *Sam.* 18, 29: ויאסף שאול לרא מפני דוד Saulus magis etiam timuit *cett.* 2 *Sam.* 6, 1: ויסף עוד דוד Davides deinde congregavit; *cett.*

a Iehovista esse profectum; sed accedit tertium quiddam, quo haec sententia omni dubio liberatur. Laban rogat Iacobum, ut secum maneat sibique serviat, mercedem promittens quamcunque sibi eligere velit. Eligit Iacobus pecudes ex ovibus pullo notatas, ex capris autem versicolores et maculosas (v. 32), cum iam natas tum nascituras; et Laban cum annuisset, Iacobus virgis virentibus partem corticis detrahit, has in canalibus aquarum pecudibus ex adverso ponit, ut, cum eo ad potum venissent, in adspectu virgarum inirentur partusque ederent colore variantes (v. 37 — 39). Quod cum faceret Iacobus quotiescunque fortiores atque generosiores pecudes coibant, factum est, ut numerosum pecus ovillum atque caprinum servitiaque et camelos atque asinos compararet (v. 40 — 43). Superstitio, qua hic mythus nititur, ab Elohista prorsus est aliena, cum indole autem Iehovistae mira quaeque colentis (cf. supra §. 4, 2) optime convenit; neque tamen reticendum videtur, quod lectorem neminem fugere potest, compilatorem, quamvis hanc narrationem Iehovistae debeat, dictionem eius aliquantulum mutasse et praesertim v. 32. 33. 34. 40 verborum quandam copiam ei addidisse, quae alias huic non est propria.

§. 32.

Iacobus aufugit et cum Labane eum persequente icit foedus.

Denuo compilator tradendo quae cap. 31 continet satis apte inter se connexa diversas diversorum auctorum sequitur narrationes, in quibus quamquam modum dicendi intactum non reliquerit, non omnia tamen originis vestigia ita obliteravit, ut dignosci varia fragmenta amplius non possint. Non prorsus itaque destituimur argumentis illis singulis ex usu loquendi utrique auctori proprio derivatis, quibus hic Elohistam a Iehovista discernamus; magis autem erunt respiciendae cum analogia

aliarum traditionum tum coniunctio cum praecedentibus. Quae de huius capitis origine disputaverunt interpretes, nec inter se nec cum nostra sententia satis conveniunt. Astruc v. 1—3, v. 48—50 Iehovistae, deinde v. 4—47, v. 51—54, et quae simul comprehendimus, cap. 32, 1—3 Elohistae esse contendit; Eichhorn cap. 31, 1. 3. 49 a Iehovista, reliqua ab Elohista repetit; Ilgen cap. 31, 3. 17. 19 ex parte et v. 21 Iehovistae, partem aliquam com. 18 Elohistae primo, quae supersunt Elohistae secundo tribuit. Nos secundum auctores varios duas faciemus sectiones.

Sectio 36.

Genes. *XXXI*, 1—16. יהוה. Iacobus uxoribus suis persuadet, a patre earum esse aufugiendum.

Nomen יהוה pro criterio, quo Iehovistam agnoscamus, hic nobis esse nequit: legimus enim v. 3 יהוה, v. 5 אלהים, v. 7 אלהים, v. 9 אלהים, v. 11 מַלְאַךְ יְהוָה v. 13: הָאֵל בֵּית־אֵל v. 16 bis אֱלֹהִים. Narrantur vero haec, cum aliis Iehovistae traditionibus optime consententia. Iacobus cum videret, a filiis Labanis divitias patri eorum callide surreptas (cf. Iehovistam cap. 30, 37—43) sibi invideri, Labanemque ipsum minus sibi esse propitium quam antea, a Iehova (v. 3) simul monitus, ut in patriam suam revertatur, (atque iisdem quidem verbis, quae cap. 28, 15 apud Iehovistam legimus) uxores suas rus ad se arcessit, de patris earum iniuria, saepius quam decies Iacobo mercedem mutantis (v. 7 sqq.), queritur, narrat Iehovam in somnio sibi monstrasse arietes atque capros admissarios, colorum varietate distinctos, capros atque oves ineuntes, ita ut hae variegatos tantum foetus ederent (v. 10—12); denique illum Iehovam, quem in loco בֵּית־אֵל antea conspexerit, sibi imperasse, ut in patriam reverteretur, uxoribusque hac ratione persuadet ut hoc consilium probent. Quae hic narrat Iacobus de angelo Iehovae, qui idem est ac Iehova ipse, quasi per miraculum id efficiente,

ut foetus edantur colorum varietate distincti, non pugnant cum narratione Iehovistae cap. 30, 27 sqq.; astute enim Iacobus, quod calliditatis suae opus erat, auxilio et favori numinis sui tutelaris tribuit. Disertis verbis autem Iehovista hic respicit ad narrationem suam cap. 28, 18, cum angelum Iehovae (v. 11) haec faciat Iacobo dicentem, v. 13: Ego sum Deus Beth-Elis, ubi tu cippum oleo conspersisti et vota mihi nuncupasti (אָנֹכִי הָאֵל בֵּית־אֵל אֲשֶׁר מָשַׁחְתָּ שָּׁם מַצֵּבָה אֲשֶׁר נָדַרְתָּ לִּי שָׁם נֶדֶר.) Proprium enim est Iehovistae narrasse, Iacobum in Mesopotamiam proficiscentem in loco Betb-El, post Iehovam in somnio visum, cippum erexisse. Elohista etiam narrasse videtur, Deum Iacobo in Mesopotamiam proficiscenti apparuisse in loco Beth-El, uti infra videbimus; hanc vero narrationem compilator nobiscum non communicavit, sed disertis etiam verbis narrat Elohista, Iacobum demum *redeuntem* ex Mesopotamia in loco Beth-El cippum statuisse (cf. infra cap. 35, 7 et 11), qua re satis perspicue discrepat a Iehovista, ita ut non possimus quin *huic* nostrum locum tribuendum censeamus.

Sectio 37.

Genes. XXXI, 17 — XXXII, 3. אֱלֹהִים. Iacobum profugum Laban persequitur et attingit, a Deo autem monitus foedus cum eo facit.

Hic etiam nomina, quae Deo tribuuntur, nobis criteria esse nequeunt: legitur enim אֱלֹהִים v. 24. 29, sed in oratione Labanis, quae discerpi nequit, v. 49 יהוה et v. 50 אֱלֹהִים; denique v. 53 et cap. 32, 2. 3. אֱלֹהִים. Sed Elohistam auctorem cognoscimus, cum quia utitur vocibus פַּדַּן אֲרָם et לָבָן הָאֲרַמִּי, v. 18. 20. 24 (cf. supra Genes. 25, 20. 28, 2; §. 3, 4), tum e tautologia et nimia verborum copia, quibus totum hoc fragmentum est insigne. Compilator autem hanc narrationem cum praecedente non inepte coniungit, quasi quae iam est traditurus post colloquium Iacobi cum uxoribus (v. 5—16) illico essent secuta. Sic enim pergit v. 17: Tum Iacobus

liberos suos et coniuges in camelos sustulit, et omne suum *peculium* (v. 18) et omnes opes quas *comparaverat*, *peculium* quod possidebat, quodque sibi *comparaverat* in Mesopotamia, secum ducens ad patrem suum Isaacum in terram canaanaeam ire contendit. En Elohistae tautologiam! Laban deinde certior factus de fuga Iacobi eum persequitur et attingit atque obiurgat quod clam aufugerit, et deorum suorum imagines a Rachele furtim ablatas frustra quaerit (v. 19—35). Iacobus autem, hac perquisitione tanquam iniuria illata iratus, Labani exprobrat (v. 36—42), quam male secum egerit. Si hic v. 41 Iacobus dicit: וַתַּחֲלֵף אֶת־מַשְׂכֻּרְתִּי עֲשֶׂרֶת מֹנִים decies mercedem meam mutasti, non ideo quod eadem fere verba supra cap. 31, 7 leguntur putandum est, ea omniaque quae cum iis cohaerent ab uno eodemque scriptore esse profecta. Nobis quidem h. l. per compilatorem e loco superiore addita esse videntur; non tamen repugnabimus, si quis contenderit, ab Elohista, eadem fere narrante, haec verba etiam scribi potuisse. — Porro in montibus Gilead Iacobus et Laban foedus feriunt, tumulum e lapidibus congerunt, quem ab utraque parte neuter transgrediatur, et post coenam communem postero die alius alio discedunt (cap. 31, 43—32, 1). Compilator huic narrationi addit fragmentum parvulum, cap. 32, 2. 3. de etymologia nominis מַחֲנָיִם, quod etiam ab Elohista profectum videtur, quoque utitur ad narrationem praecedentem cum subsequente copulandam.

§. 33.

Iacobus ad Esavum dona mittit, cum Iehova pugnat, Esavum convenit.

Haec omnia quae inter se optime cohaerent propter argumenta mox monstranda Iehovistae deberi putamus; interpretes autem vario modo ab hac sententia differunt.

Astruc cap. 32, 4—24 Iehovistae, v. 25—33 cap. 33, 1—16 Elohistae tradenda putat; Eichhorn cap. 32, 1—33 et cap. 33, 1—17 Elohistae esse contendit; Ilgen denique cap. 32, 4—23 et cap. 33, 1—17 a Iehovista, quae interiacent commata cap. 32, 24—33 ab Elohista suo secundo repetit. Argumenti denuo rationem habituri tres faciemus sectiones inter se coniunctas.

Sectio 38.

Genes. XXXII, 4—22. יהוה. Semel tantum (v. 10) hic legitur nomen יהוה; permulta vero respiciunt ad alia fragmenta Iehovistae, monstrantque hoc ab eo esse profectum et a traditionibus Elohistae discernendum. V. 4 statim incipit noster: Iacobus nuntios praemisit ad fratrem suum Esavum *in terram Seir agrumque Edomitarum* (אַרְצָה שֵׂעִיר שְׂדֵה אֱדוֹם). Supra autem, cap. 25, 25. 30 Iehovista iam indigitaverat, Esavum esse patrem Edomitarum; et infra cap. 36, 6 contendit Elohista, Esavum etiam post Iacobum in patriam reducem in terra Canaanaea habitasse, post Isaacum demum mortuum in monte Seir habitasse; qui igitur hic dicit, Esavum, cum Iacobus in reditu esset e Mesopotamia, iam in montibus seiriticis domicilium habuisse, non Iehovista esse nequit. Iacobus porro fratri iubet nuntiari, se in Mesopotamia commoratum magnas opes comparasse, et a nuntiis ad eum reversis fit certior, Esavum cum quadringentis equitibus (v. 7) ei obviam venire. Fraudem deinde timens (v. 8. 9) bina fecit castra, ut altera pars effugere posset, altera si ab Esavo peteretur, precesque fundens ad Iehovam haec dixit v. 10: Deus patris mei Abrahami et Deus patris mei Isaaci, Iehova, qui mihi imperasti: Revertere in terram tuam patriam, ego tibi benefaciam. (v. 11) Ego impar sum tantis beneficiis atque officiis, quibus tu me adfecisti; quippe quum, qui Iordanem hunc cum baculo transieram, nunc duo agmina habeam. (v. 12) Defende me, quaeso, ab iniuria fratris mei, quem metuo, Esavo, ne me, ne

liberos cum matribus adortus trucidet; (v. 13) certe tu dixisti: Quam maxime tibi benefaciam sobolemque tuam faciam *arenae marinae instar*, *quae numerari nequit prae multitudine.* Respiciunt haec omnia ad narrationem Iehovistae Genes. 28, 13. 14, praecipue autem verba quae in scribendo distinximus indolem Iehovistae prae se ferunt (§. 4) 3). Deinde Iacobus dona praemittit ad fratrem mitigandum, servosque edocet verba quae Esavo dicant humillima tamquam domino suo; ipse autem in castris remanet, illis procedentibus (v. 14—22).

Sectio 39.

Genes. XXXII, 23—33. יהוה. Bis quidem (v. 29 et 31) legitur nomen אלהים; minime tamen dubitamus, quin hoc fragmentum Iehovistae tribuamus, nec placet etiam nomen illud h. l. in יהוה mutari, cum in hoc contextu per *numen quoddam divinum* explicari posse videatur. Haec narratio cum praecedente cohaeret vinculo quam arctissimo; sic enim pergit poëta: Iacobus, (ne forte subito impetu ab Esavo opprimeretur), de nocte surrexit et cum duabus coniugibus suis et duabus ancillis et undecim natis vadum Iabboci transiit solusque mansit (v. 23—25). Tum ad ortum solis usque vir quidam (אִישׁ, v. 25) cum eo colluctatus est, qui cum videret, Iacobum a se non posse superari, rogavit, ut se dimitteret, nec tamen hoc impetrare potuit, nisi ei benediceret (v. 25—27); interrogavit igitur, quod sit nomen eius, et cum comperisset, nomen esse Iacobi: In posterum, inquit (v. 29), non Iacobus vocaberis, sed Israël (יִשְׂרָאֵל), quod et cum Deo et cum hominibus colluctatus sis atque viceris (כִּי שָׂרִיתָ עִם־אֱלֹהִים וְעִם־אֲנָשִׁים וַתּוּכָל). Hunc vero luctatorem Iehovam ipsum fuisse, specie humana indutum, statim inde elucet, quod negat (v. 30) se nomen suum indicaturum, et quod Iacobus (v. 31) nomen loci vocat פְּנִיאֵל h. e. *facies Dei*, his verbis additis: Praesens praesentem vidi Deum et servatus sum. Cum duplex etymologia (יִשְׂרָאֵל et פְּנִיאֵל), in cuius favo-

rem hic mythus est effictus, indolem Iehovistae prodit (cf. §. 4, 4. a), tum anthropomorphismus notatu dignissimus, quo poëta Iehovam facit cum homine colluctantem (cf. §. 4, 1); accedit denique, quod Elohista Genes. 35, 10 sqq. eandem rem prorsus alio modo narrat, nomen יִשְׂרָאֵל, quo ille solus postea utitur (cf. §. 3, 5. c), non a luctatione cum Deo derivans, sed a שָׂרָה *imperare*, ita ut secundum Elohistam יִשְׂרָאֵל sit vertendum *imperator Dei* h. e. princeps Deo acceptus, secundum Iehovistam vero *luctator Dei* h. e. vir qui cum Deo est colluctatus, quod quidem posterius nemo non dicet ineptissimum (cf. §. 4, 4. c).

Sectio 40.

Genes. XXXIII, 1—16. יהוה. Hanc sectionem a Iehovista esse derivandam, facillimum erit explicatu, si modo supra idem de sectione 38, quacum arctissimo cohaeret vinculo, evicimus. Esavus enim, de cuius itinere ibi viri a Iacobo missi nuntiaverant, (cap. 32, 7) nunc appropinquat, agmine quadringentorum equitum stipatus (v. 1), a Iacobo pavente eiusque uxoribus et liberis humillime prostratis excipitur (v. 2—7) et benigne omnes salutat, dona autem quae Iacobus ei miserat (cf. cap. 32, 14 sqq.) se accepturum negat et urgente demum Iacobo accipit (v. 8—11). Deinde Esavus offert Iacobo (ne quid huic accidat), se cum equitibus eum comitaturum; sed ille, fraudem, quam ipse corde fovebat, semper a fratre magnanimo metuens, rogat (v. 12. 13) ut antecedat, promittit, se cum suis ad fratrem in regionem Seir venturum, negatque armatis, quos praesidii loco Esavus ei vult relinquere, sibi opus esse (v. 14. 15); tum denique Esavus cum suis revertitur in regionem Seir (v. 16), ubi eum habitantem noster supra (cap. 32, 4) monstraverat. Quae omnia cum tam bene conveniant cum superiore illo fragmento Iehovistae cap. 32, 4—22 et simul discrepent a narratione Elohistae Genes. 36, 7. 8, dubium de origine huius fragmenti inde

moveri nequit, quod bis hic legimus vocem אלהים (v. 10. 11), cuius auctoritas iam magis magisque evanescit.

Iam supra §. 30 ineunte lectorem huc relegavimus, quia ad ea, quae ibi de traditione duplici Elohistae et Iehovistae, historiam Iacobi narrantium, suspicabamur, hic nonnulla sunt addenda. Omnia enim quae in hac paragrapho comprehendimus si cum subsequentibus non minus quam cum antecedentibus comparaveris, haec prodibit de traditione illa duplici sententia: Compilator quidem modo hunc modo illum sequitur auctorem originarium in historia Iacobi nobiscum communicanda; in universum autem ubicunque narrationem uberiorem conservavit, minus copiosam et eadem fere tradentem oppressit. Ex iis autem quae memoratu digna habuit colligere licet, Elohistam, quamquam verbis uberiorem, rebus tamen simpliciorem fuisse quam Iehovistam. In specie Iehovista solus tradiderat benedictionem paternam Esavo a Iacobo callide surreptam (cap. 27), qua de re Elohistae nihil innotuerat (cf. nos §. 30 ad Genes. 28, 1—9); Iehovista igitur solus Iacobum pingere potuit de ira fratris anxium (cap. 32 et 33, 1—16). Apud Elohistam vero Iacobus in fratrem nihil commisit, sed in Mesopotamiam tantum proficiscitur ad uxorem inde ducendam (cap. 28, 1—9); apud hunc igitur Iacobus non mittit legatos ad fratrem, Esavus ei obviam non procedit, Iacobus non promittit, se ad eum in regionem Seir venturum, neque, cum hoc non faciat, fratrem decipit; sed e Mesopotamia redux Iacobus, per regionem Sichemi (cap. 33, 17 sqq. cap. 34) et Beth-Elis aliaque loca ad patrem contendit, apud quem Esavum invenit, cuius ope paulo post senem mortuum sepeliendum curat (cap. 35), et tum demum Esavus in regionem seiriticam se confert (cap. 36, 6 sqq). Quamvis autem multa apud Elohistam sint breviora, hic tamen solus exhibet historiam Dinae vitiatae (cap. 34), propter vindictam a fratribus sumtam notatu dignissimam; quacum ad finem

libri usque multa cohaerent fragmenta. De Iacobo tantum apud Labanem commorante et Elohista et Iehovista fere eadem narrasse videtur; qua re factum est, ut compilator haec cap. 39 et 30, ut §. 31 vidimus, tam arcto vinculo posset coniungere.

§. 34.

Iacobus habitat prope urbem Sichem; Dina, filia eius, a Sichemo vitiatur.

De his fragmentis inter se iunctis, quae Elohistae deberi demonstrabimus, interpretes haec varia statuunt: Astruc cap. 33, 17 — 20 Iehovistae tribuit, cap. 34 a ceteris seiunctum incerti auctoris esse putat; Eichhorn, utrum totam sectionem cap. 33, 18 — 34, 31 Elohistae an incognito cuidam auctori tradendam censeat, subdubitat; Ilgen denique omnia Elohistae secundo tribuit. Nos duas faciemus sectiones, in ea re convenientes, quod Iacobus in vicinia urbis Sichem domicilium habet.

Sectio 41.

Genes. XXXIII, 17 — 20. אֱלֹהִים. Iacobus Succotham et inde ad urbem Sichem venit, ubi a filiis Hemoris, patris Sichemi, agrum emit. Uti supra cap. 26, 1 — 16 (Sect. 28) Iehovista suam ipsius narrationem de Abrahamo imitatus est (cf. Genes. 12, 10 sqq. cum l. c.), fere eadem de Isaaco tradens: sic in nostro loco Elohista suam ipsius narrationem de sepulchro per Abrahamum comparato, Genes. 23, imitatur, fere eadem et in eundem finem de Iacobo narrans, uti iam supra §. 24 ad illum locum monuimus. Prodit autem Elohista indolem suam v. 18 per vocem פַּדַּן אֲרָם, et hic iam prospicit ad mythum subsequentem (cap. 34), cum v. 19 non simpliciter dicat, Iacobum emisse agrum ab Hemore vel ab Hemoridis, sed scribat: מִיַּד בְּנֵי חֲמוֹר אֲבִי שְׁכֶם a filiis Hemoris, patris *Sichemi*; de hoc enim mox erat dicturus.

Sectio 42.

Genes. XXXIV, 1—31. אלהים. Nulla hic mentio fit Dei; sed facile cognoscitur indoles Elohistae 1) e dictionis tautologia, quae per omnem hanc sectionem est frequentissima; 2) ex usu nominis ישראל, quod auctor quasi anticipat, cum cap. 35, 10 demum origo eius apud eum legatur, quo autem hic v. 7 utitur ad *populum* a Iacobo oriundum, qui tum nondum aderat, significandum (cf. supra §. 3, 5. c); 3) inde quod mentionem facit circumcisionis tanquam moris religiosi, qui apud Iacobum filiosque iam obtinuerit eosque a paganis hanc regionem habitantibus secreverit; ipse enim Elohista supra cap. 17 narraverat hunc usum per legem a Deo datam Abrahami temporibus institutum. Quae narrantur reliqua, breviter sic indicari poterunt. Dina, cum filias incolarum visum iverat, prope urbem Sichem a Sichemo, iuvene nobili, vitiatur, qui deinde cum patre ad Iacobum venit, filia ut in matrimonium sibi detur rogaturus, donis ad peccatum expiandum oblatis (v. 1—13). Filii Iacobi iram de sorore vitiata reprimunt, negant vero se commercium habere posse cum hominibus praeputiatis, et flagitant, ut omnes urbis incolae circumcidantur: hac demum conditione filias suas iis datum iri in matrimonium (v. 14—18). Hemor deinde et filius eius Sichem civibus suis persuadent, ut ad unum omnes circumcidantur; quo facto, Simeon et Levi, filii Iacobi Dinaeque fratres, tertio post circumcisionem die urbem intrant ensibus armati, omnes mares doloribus laborantes interimunt, reliqui vero filii Iacobi quaecunque in urbe sunt diripiunt (v. 20—29). Iacobus autem filios sororis iniuriam ultos obiurgat, metuens fore, ut ab incolis terrae circumveniatur et cum omnibus suis trucidetur (v. 30. 31). Infra (§. 49) ad Genes. 49, 5 sqq. videbimus, nos hac macula, qua Elohista filios Iacobi Simeonem et Levium adspergit, uti posse ad Elohistam a Iehovista dignoscendum.

§. 35.

Iacobus in loco Beth-El commoratur, nomen ישראל accipit; Rachel et Isaacus moriuntur.

Haec quae uno titulo comprehendimus capitis 35 fragmenta tantum non omnia inter se cohaerent et ab Elohista profecta esse videntur, cui etiam Eichhorn ea danda censet; Astruc nobiscum consentit de v. 1—27; sed v. 28. 29 inde distrahenda et auctori cuidam ignoto tradenda putat; Ilgen v. 1—8, partem aliquam commatis 16, commata 17. 18. 20. 21. 22 Elohistae secundo, quae supersunt Elohistae primo tribuit.

Sectio 43.

Genes. XXXV, 1—8. אלהים. Supra (Sect. 36, §. 32) iam suspicati sumus, narrationem aliquam Elohistae de Deo, a Iacobo in Mesopotamiam proficiscente in loco Beth-El conspecto, exstitisse, per compilatorem, qui tantum servaverit narrationem Iehovistae (Genes. 28, 10 sqq.) non traditam. Haec narratio deperdita in nostro loco, qui cum Genes. 28, 10 sqq. minime coniungi potest, respici videtur. Verborum *commatis primi*: Deus Iacobum sic est allocutus: Surge et confer te in locum Beth-El, domiciliumque ibi pone et altare erigito Deo, qui tibi in hoc loco apparuit, *ab Esavo fratre tuo fugienti*, postrema quidem compilator addidisse videtur, ut mythum Iehovistae de benedictione paterna per Iacobum surrepta et de Esavo irato aliquo modo inferret (cf. §. 33 fin.); sed reliqua non contradicunt commatibus quae subsequuntur 7 et 15, ubi loco illi demum additur nomen בית אל; saepe enim apud auctores nostros legimus nomina propria, de quorum origine postea demum mythi traduntur (cf. Genes. 26, 23 et 33; 31, 25 et 47. 48). Elohista autem satis perspicue se huius fragmenti auctorem indicat, non modo quia v. 4 fingit, Iacobum omnia deastrorum simulacra a se suisque removisse, ut unicum tantum deum colerent (cf. supra §.

3, 2), sed etiam, quia v. 4. 5 disertis verbis dicit, Iacobum e regione urbis Sichem castra movisse, Deum vero omnium urbium circumiacentium incolas coërcuisse timore, ne Iacobum propter caedem Sichemitarum odio persequerentur. Utrumque hoc nostram coniungit narrationem cum cap. 34, praesertim quia ibi (v. 30) timoris, quo Iacobus propter caedem a filiis patratam angebatur, mentio est facta.

Sectio 44.

Genes. XXXV, 9—15. אלהים. Deus Iacobo apparet in loco Beth-El, nomen ישראל ei addit (v. 10) modo a narratione Iehovistae (Genes. 32, 29, cf. §. 33, Sect. 39) de eadem re prorsus diverso, numerosissimam ei promittit prolem, illis quibus apud Elohistam uti solet (cf. §. 3, 5) verbis adhibitis (v. 11), et Iacobus cippum erigit in hoc loco eumque vocat בית־אל, quae Iehovista (Genes. 28, 10 sqq.) Iacobum in Mesopotamiam proficiscentem fecisse narraverat. Vix ullum aliud est Elohistae fragmentum, quod in tam brevi spatio tot tantaque originis suae comprehendat documenta; non praetermittamus igitur duo haec quae supersunt: v. 9 legitur פדן ארם (cf. §. 3, 4) et v. 14 haec verba: Iacobus cippum erexit in loco, ubi (Deus) cum eo erat collocutus, cippum lapideum, et libationem in eo libavit (ויסך עליה נסך) et conspersit eum oleo. Apud Iehovistam (cap. 28, 18) Iacobus cippum conspergit oleo ad eum sacrandum et quasi simulacrum Dei faciendum; sed Elohista fingit, a Iacobo inventas esse libationes (נסך); morem igitur serioris aevi, uti solet (cf. §. 3, 2), a tempore patriarcharum derivare conatur.

Sectio 45.

Genes. XXXV, 16—26. אלהים. Verba v. 16: Castra moverunt a loco Beth-El, coniungunt hoc fragmentum cum praecedente; v. 21. 22. Iacobus bis nominatur ישראל, quo nomine solus Elohista uti solet, (cf. §. 3, 6, c); ideoque haec commata etiam Elohistae debentur.

Narratur vero Rachelis post Beniaminum natum exspirantis mors et sepultura (cf. infra apud Elohistam Genes. 48, 7, §. 48, Sect. 62) et v. 22 addit poëta: Israël cum in hac regione habitaret, Rubenus rem habuit cum Bilha, patris concubina (וַיֵּלֶךְ רְאוּבֵן וַיִּשְׁכַּב אֶת־בִּלְהָה פִּילֶגֶשׁ אָבִיו), et Israël hac de re est certior factus. Postea videbimus, hac qua Rubenum adspergit macula Elohistam discerni posse a Iehovista. — Quam compilator hic v. 22—26 addit filiorum Iacobi enumerationem neque apto loco positam neque cum praecedentibus satis convenientem, cum v. 24 etiam Beniamin numeretur inter filios in *Mesopotamia* natos, eam Elohistae tradere subdubitaremus, nisi v. 26 etiam legeretur פַּדַּן אֲרָם; neque tamen contradicemus, si quis hoc fragmentum compilatori soli tribuere voluerit.

Sectio 46.

Genes. XXXV, 27—29. אֱלֹהִים. Omnia haec verba Elohistam monstrant auctorem, neque deest dictionis tautologia. Haec enim legimus, v. 27: Iacobus pervenit ad Isaacum patrem suum in regionem Mamre h. e. Kirjath Arba sive Hebron, ubi Abrahamus et Isaacus habitaverunt (cf. Elohistam Genes. 23, 19); v. 28: Ac postquam Isaacus centum et octoginta compleverat annos, v. 29: senex vita defunctus et maturus aevi mortuus est et ad patres suos abiit, et sepeliverunt eum Iacobus et Esavus filii (cf. apud Elohistam eadem verba de Abrahamo moriente Genes. 25, 8.). Praeter ea quae addidimus loca Elohistae, huic similia, accedit etiam quod narrat, Esavum a Iacobo apud patrem esse repertum, non, uti Iehovista vult, (Genes. 32, 4 et 33, 16, cf. nos §. 33 in fine) iam tum in montibus seiriticis domicilium habuisse.

§. 36.

Genealogiae posterorum Esavi et principum Edomitarum.

Sectio 47.

Genes. XXXVI, 1 — 43. אֱלֹהִים. Ex interpretibus Ilgen solus nobis adstipulatur, totum hoc caput Elohistae primo tradens; Eichhorn vero et Astruc fragmenta quae hic comprehenduntur ex additamentis profecta putant auctorum et ab Elohista et a Iehovista diversorum. Negari quidem nequit, singulorum quae hic legimus fragmentorum coniunctionem rectius tribui compilatori, ea etiam quae non satis inter se conveniunt colligenti, quam uni eidemque scriptori originario; sed in universum iam supra (§. 11 ad Genes. 10) observavimus, genealogias libri Geneseos maximam partem Elohistae deberi; et de prima harum, quas cap. 36 exhibet v. 1—8, quae prooemium quasi facit reliquarum, satis luculenter hoc demonstrari poterit. Hic enim v. 6—8 narratur, Esavum, quia una cum Iacobo in terra Canaanaea habitare nequiverit, cum omnibus opibus suis fratrem reliquisse et regionem montium seiriticorum petiisse ad domicilium ibi collocandum. Iehovista contra (cap. 32, 4. 33, 16) narraverat, Esavum iam ante Iacobum e Mesopotamia redeuntem in regione Seir habitavisse. Quae supersunt in hoc capite nec inter se nec cum traditionibus praecedentibus satis convenientia, commentariis nostris accuratius explicanda relinquimus; sufficit hic monuisse, a compilatore genealogias Edomitarum simili modo hic post narrationem de morte Isaaci esse collocatas, ut supra (cap. 25, 12—18) genealogiae Ismaëlitarum post mortem Abrahami inseruntur. Id enim efficere vult compilator, ut nulla re aliena amplius impeditus ad historiam filiorum Iacobi, praesertim ad historiam Iosephi narrandam transire possit.

§. 37.

De historia Iosephi Genes. XXXVII—XLVIII tradita in universum.

Trium illorum quos saepe laudavimus interpretum in fragmentis quae a compilatore adhibentur ad Iosephi historiam narrandam diiudicandis sententia minus quam usquam antea nobis arridet. Astruc enim et Eichhorn tantum non omnino desperasse videntur de origine horum fragmentorum indaganda, cum tam multa, ubi singula sese excipiunt, eidem tradant auctori; Astruc cap. 37 totum ab Elohista, cap. 38. 39 tota a Iehovista repetit et Eichhorn cum eo consentit; deinde Astruc quae supersunt omnia cap. 40—48 Elohistae tribuit, Eichhorn vero saltem de cap. 40—47, 27 calculum ei addit, cap. 47, 28—31 Iehovistae tradi iubet, de cap. 48, 1—22 autem dubius haeret, utrum Elohistae an tertio cuidam auctori a Iehovista et Elohista diverso sint tradenda. Ilgen denique omnium horum capitum commata fere omnia singula discindit atque inter duos Elohistas suos dividit, tantum cap. 38, 1—30 Iehovistae tradens, quae omnia describere longum est. Quae cum sic se haberent, in commentario meo exarando facile vidi, aliam prorsus viam mihi esse ingrediendam, praesertim cum non tantum criterio, quo viri illi doctissimi maxime confidebant, de varietate nominum יהוה et אלהים hic prorsus destitueremur, sed cum compilator etiam magis magisque textum auctorum suorum geminum mutaret, dictionem Iehovistae tautologiis Elohistae similibus ornaret, singula denique adderet, quibus traditionum varietatem quantum fieri posset aequaret (cf. supra §. 28). Unice fere confugiendum erat ad indolem *narrationum* sibi constantem, quas *duas* in historia Iosephi, qualis a compilatore tradita est, comprehendere mihi videbar, ad *duplicem* inquam eiusdem historiae *traditionem*, eamque paullo luculentiorem atque explicatu faciliorem, quam

quae supra (§. 33 in fine) a nobis est indigitata in historia Iacobi. Cum autem non omnis prorsus deesset inter has narrationes atque praecedentes coniunctio, hac indagata non dubitavi alia Elohistae alia Iehovistae tribuere, nominibus quidem auctorum originariorum solitis hic etiam servatis, quamvis distinctio eorum, a nominum divinorum vice derivata, porro non satis bene ad eos quadraret. Sed quamquam reliqua capita fere tota vel huius vel illius auctoris esse intelligebam, quid de capite 37, ubi historia Iosephi incipit, statuerem, diu haerebam, dum invenirem, compilatorem in hoc capite, et multo solertius quidem quam supra cap. 22, 1–19, duas varias variorum auctorum traditiones ita coniunxisse, ut primo obtutu una tantum videretur, quae tamen ita sit comparata, ut singula fere omnia auctori suo restitui possint, et ut duae quae post secretionem prodeant traditiones variae per reliquam omnem Iosephi historiam invicem sese excipientes continuentur atque propagentur. Antequam igitur singula perscrutabimur ad hanc sententiam defendendam, breviter sumus indicaturi, quomodo ea quae cap. 37—48 comprehendunt fragmenta inter duos illos auctores originarios, Elohistam et Iehovistam, distribuenda censeamus, iterum iterumque simul monentes, *hypothesin* quidem a nobis hic proponi, sed eam, quae modo inductionis quam dicunt ad veritatis speciem satis prope accedere possit. Hoc igitur est schema eius quae nunc sequetur partis disputationis nostrae:

Elohista.	*Iehovista.*
Cap. 37, *a.* Iosephus, fratribus propter calumnias invisus, *Iuda* suadente Ismaëlitis venditur servus et in Aegyptum deducitur.	*Cap.* 37 *b.* Iosephus, fratribus propter arrogantiam in somniis narratis monstratam invisus, *Rubeno* suadente in foveam coniicitur, a Midianitis inde extrahitur, et in Aegyptum de-
(*Cap.* 38. Iuda per nefas rem habet cum nuru, ex	

Elohista.

qua suscipit Perezum, Davidis proavum.)

Cap. 39. Iosephus ab Ismaëlitis venditur Aegyptio cuidam nobili, a quo propter calumnias uxoris in vincula coniicitur.

(Quae capitibus 41 et 42 apud Elohistam responderbant, compilator omisit; e subsequentibus vero colligimus, omissa huius fuisse argumenti: Iosephus, servus captivus, fit rector Aegypti; fratres primum iter ad eum faciunt frumenti emendi causa; Iosephus flagitat, ut Beniaminum ad se adducant. Compilator autem statim pergit narrans *cap.* 43. de itinere fratrum secundo, quod ingrediuntur, postquam *Iuda* pro Beniamino reducendo se devoverat, et quo propter Beniaminum adductum a Iosepho benigne excipiuntur.

Cap. 44. Iosephus fratres dimissos ex itinere retrahi iubet eosque furti incusat;

Iehovista.

ductus, a Midianitis Potipharo, praefecto praetorio, venditur.

Cap. 40. Iosephus, servus praefecti praetorio, nobilibus duobus, qui apud herum captivi tenentur, somniorum monstrat explicationem eventu comprobatam.

Cap. 41. Iosephus suasore altero eorum, quorum somnia interpretatus erat, e servitute ad Pharaonem accitur, sapienter somnium eius interpretatur et, primus regis amicus creatus, inopiam post septem annos futuram levare instituit.

Cap. 42. Fratres Iosephi victum emturi tendunt in Aegyptum, a Iosepho, somniorum suorum (cf. cap. 37, b) memore, non benigne excipiuntur, a *Rubeno* monentur de peccato in fratrem commisso, coguntur ut Simeonem tanquam pignus pro Beniamino adducendo relinquant, reduces vero apud patrem per *Rubenum* frustra se excusant.

(Quae cap. 43, 1—46, 27 legimus secundum narrationem Iehovistae a compila-

Elohista.

Iuda se fratresque defendere conatur.

Cap. 45, 1—28. Iosephus fratribus se cognoscendum praebet eum, quem in Aegyptum vendiderint (cf. cap. 37, a) iubetque eos ad patrem redire eique, annuente Pharaone, domicilium in terra Gosen promittere.

Cap. 46, 1—27. Deus Iacobo permittit, ut cum omnibus suis in Aegyptum tendat; enumerantur simul omnes qui eum comitantur filii et nepotes Iacobi.

Cap. 47, 27—31. Iacobus cum suis in terra Gosen habitat, senioque confectus Iosephum rogat, ut se in sepulcro patrum suorum humandum curet.

Cap. 48. Iacobus nepotes suos Ephraimum et Manassen filios adoptat, iisque fausta precatur.

Iehovista.

tore non traduntur, sed non potest quin similia saltem Iehovista etiam narraverit; omisso enim itinere ipso, quo Iacobus cum suis in Aegyptum tendit, compilator statim pergit narrans *cap.* 46, 28—47, 12: Iosephus patri appropinquanti obviam proficiscitur, fratres edocet, quid dicant, si ad Pharaonem venerint; Pharaonem de adventu eorum certiorem facit impetratque, ut aliquos eorum pecoribus regiis praeficiat et domicilium iis permittat in regione Raamses.

Cap. 47, 13—26. Iosephus omnes Aegyptios, sacerdotibus exceptis, servos emit Pharaoni.

Brevitatis studium hic omittere suadebat, quid compilator faciat ad has traditiones, in summis quidem rebus consentientes, in singulis tamen discrepantes, ita coniungendas, ut unam unius auctoris narrationem efficere videantur; per se autem patet, eum lacunas quae in utraque traditione deprehenduntur ita tegendas curasse, ut quantum fieri posset minime apparerent. Neque tamen ars eius tanta fuit, ut hoc ei ubicumque bene succederet, et non tantum in universum sententiam no-

stram defendere, sed saepe etiam compilatoris mutationes monstrare poterimus. Lectorem peritum effugisse nequeunt quae iam in schemate nostro indigitavimus nova diversitatis quae inter duos auctores intercedit criteria, haec v. c. quod Elohista Iosephum facit a fratribus venditum, per Ismaëlitas in Aegyptum deductum, Iehovista autem a Midianitis clam e fovea surreptum; deinde quod Iehovista *Rubenum* fratrum natu maximum tanquam principem eorum pingit et quasi oratorem, Elohista autem hoc cum dignitate munus *Iudae* tribuit, qua cum re optime convenit, quod Elohista iam supra filios Iacobi tres natu maximos, Rubenum (cap. 35, 22), Simeonem et Levium (cap. 34, 25 sqq.), pravitatis quadam macula notavit. Eundem Iudae favorem, fratrumque trium maiorum odium Elohista monstrat in benedictione Iacobi, cap. 49, ut infra videbimus.

§. 38.

Iosephus fratribus invisus servus in Aegyptum deducitur.

Cum duplicem caput 37 comprehendat traditionem, haec, ut melius perspiciatur quae in ambabus luculenter sunt diversa, ex adverso sibi ponemus, quae vero dubia vel secundum argumentum ad utramque pertinentia vel compilatori tribuenda, in media pagina collocabimus, insertis simul quae necessaria putamus ad omissa supplenda additamentis. Quod si quis hypothesin nostram impugnare velit, hanc de capite 37 expositionem aggrediatur oportet; in hac enim, in qua praecipuam collocamus vim argumentorum postea adhibendorum, simul si quod est πρῶτον ψεῦδος nostrum latere necesse est. Duabus igitur sectionibus factis sibi invicem oppositis, quadragesimae octavae trademus loca Elohistae (cap. 37, a), quadragesimae nonae vero loca Iehovistae (cap. 37, b.).

Sectio 47. אלהים.	Sectio 48. יהוה.
Cap. 37, a.	Cap. 37, b.

v. 1. Iacobus habitavit in terra, ubi pater eius peregrinus fuerat, in terra Canaanaea. v. 2. Haec igitur est historia Iacobi.

v. 2. Iosephus 17 annos natus pecuariam cum fratribus suis exercebat, et erat puer apud filios Bilhae et filios Silpae, uxorum patris sui; et Iosephus malam eorum famam patri detulit.

v. 3. Israël autem Iosephum, quod eum senex genuerat, prae ceteris omnibus suis filiis amabat, eique tunicam manicatam fecit. V. 4. Quod cum viderent fratres, eum patri omnium fratrum esse carissimum, tantum in eum odium conceperunt, ut eum amice compellare non possent.

Elohista.	*Iehovista.*
	v. 5—11 narrat Iosephus *somnia* de manipulis fratrum, qui suum venerantur, et de sole, luna atque undecim stellis, Iosephum ipsum venerantibus, unde pater et fratres augurantur, Iosepho regnum in se portendi, et v. 11 additur: Fratres ei invidebant, sed pater hanc rem in animo fovebat.

v. 12. Igitur eius fratribus aliquando profectis Sichemum, ad pascendum paternum pecus, v. 13. Israël Iosepho ostendit, velle se eum mittere ad eius fratres, qui essent apud Sichemum. Ille paratum se esse dicit, (v. 14) et pater ei mandat, ut visat, quo-

modo sese habeant tam ipsi quam pecus, et rem ad se referat. Ita dimissus ex valle Hebronis Iosephus ad Sichemum pervenit. (v. 15) Ibi eum quidam ruri errantem reperit et interrogat, quid quaerat. (v. 16) Fratres meos quaero, inquit ille, indica mihi quaeso, ubinam pascant. (v. 17) Tum ille, Disceserunt hinc, inquit, nam audivi eos dicentes: Eamus ad Dothain. Igitur Iosephus fratres subsequutus eos prope Dothain invenit.

v. 18. Et in eum procul conspectum, antequam appropinquaret, mala excogitaverunt, ut eum interficerent.

v. 19. Tum alius alii dixit: Ecce, advenitat somniator ille. v. 20. Agite, interficiamus eum (*et coniiciamus eum in fovearum unam*) et dicamus, discerptum esse a fera; tum videbimus, quid evadant somnia eius.

v. 21. *Ruben* vero hac re audita manibus eorum eum eripere cupiens dixit: Ne laedamus vitam eius.

v. 22. Ruben vero dixit illis: Nolite effundere sanguinem, sed coniicite eum in hanc foveam, quae in deserto est; scilicet ut eriperet eum e manibus eorum eumque reduceret ad patrem.

v. 23. Factum est vero, cum Iosephus ad fratres perveniret, tunica illa manicata, qua erat indutus, Iosephum spoliaverunt.

Elohista.

v. 25. Tum consederunt ad cibum capiendum, oculisque sublatis conspexerunt coetum Ismaëlitarum a Gileado venientium, quorum cameli aromata portabant et balsamum et ladanum, quae

Iehovista.

v. 24. Deinde eum correptum in foveam detruserunt; fovea vero erat vacua, neque inerat aqua.

[*Additamentum:* Illi vero abierunt, et procul ab eo loco, in quo erat fovea, con-

Elohista.

omnia in Aegyptum erant delaturi.

v. 26. Tum *Iuda* dixit fratribus suis: Quid proderit nobis fratrem nostrum interficere, etiam ut sanguinem eius celemus?

v. 27. Agite, vendamus eum Ismaëlitis, neque manum ei admoveamus, frater enim noster est et consanguineus! Fratres autem dicto ei fuerunt audientes,

v. 28 a. et vendiderunt eum Ismaëlitis pro viginti siclis argenti; hi vero in Aegyptum eum deduxerunt.

Cap. 39, 1: Iosephus autem in Aegyptum deductus est, et emit eum vir quidam aegyptius e manu Ismaëlitarum, qui eo eum deduxerant.

Iehovista.

sederunt ad cibum capiendum. Iosephus vero e fovea, cuius latera erant ardua, exire non potuit; alta voce igitur coepit plorare, si forte quis veniret eumque inde eriperet; cumque adhuc clamaret, v. 28 b.] mercatores Midianitae praeteriverunt [qui plorantis miserti sunt], eumque e fovea extraxerunt, [neque tamen liberum dimiserunt, sed secum duxerunt. Cum autem abiissent et iam procul abessent,]

v. 29. Rubenus reversus est ad foveam, cumque Iosephus ibi non adesset, ille vestimenta discidit

v. 30 et ad fratres reversus dixit: Puer non adest! quo tandem nunc me convertam?

Quae v. 31—35 narrantur de fratribus patrem decipientibus, ita ut Iosephum a fera discerptum putaret, et de patris luctu, ab utroque scriptore fere eodem modo tradita esse possunt.

v. 36. Midianitae in Aegyptum eum (Iosephum) abductum vendiderunt Pothipharo, Pharaonis eunucho, praefecto praetorio.

Pauca de singulis sunt addenda. V. 1 et initium comm. 2. inscriptionem novae partis historiae incipientis

efficiunt, quae uti aliae similes (cf. §. 5, 1. 3) non inepte compilatori tribuetur. Quod reliquum est commatis 2 per tautologiam et nomen יִשְׂרָאֵל (cf. §. 3, 1 et §. 3, 6. c.) Elohistam prodens auctorem, huic eo libentius tribuimus, quo rectius tum duplex duplicis traditionis sumi poterit causa, cur fratres Iosephum odio habuerint, apud Elohistam *calumniae*, apud Iehovistam superbia in somniis narratis monstrata. Quod dictionem comm. 3 et 4 attinet, ea propter verborum copiam Elohistae tribueremus, in medio vero reliquimus, quia argumentum de tunica Iosephi manicata ad utrumque quadrat auctorem. Somnia, v. 5—11, quatenus rerum mirabilium amorem produnt Iehovistae proprium (cf. supra §. 4, 2), huic non minus sunt tribuenda, quam cetera illa somnia, quae Iehovista solus cap. 40 et 41 historiae Iosephi inseruit. Quae v. 12—17 narrantur de Iosepho ad fratres visendos misso, si argumentum respicis, ab utroque auctore narrata esse possunt; sed hic etiam v. 13 legitur nomen ישראל, et oratio a tautologia Elohistae, quem illa vox auctorem indicat, non est aliena; hunc igitur si sumis auctorem, putandum est, Iehovistam similia eiusdem fere argumenti, a compilatore oppressa, narrasse. Deinde credi nequit, com. 18 ab eo auctore profectum esse, qui comma 19 et 20 scripserit; igitur primum illud Elohistae tradimus, com. 19 et 20 vero, praesertim quia de somniis sermo est et oratio denuo infit, Iehovistae; compilator autem ex iis, quae mox sequuntur, addidisse videtur verba a nobis uncinis inclusa: et coniiciamus eum in fovearum unam, postea enim de unica tantum fovea (*Cisterne*) sermo est. Non magis etiam *Ruben* utriusque, et 21 et 22, commatis verba simul dixisse potest; compilator autem, ut ea coniungeret, tautologia quadam comma 22 auxisse videtur; neque nimis audacter coniicere nobis videmur, si suspicamur, eundem etiam compilatorem v. 21 *Ruben* posuisse pro *Iuda*, quorum posteriorem apud Elohistam saepe

invenimus oratoris personam tuentem. Secundum Elohistam igitur fratres ira in Iosephum celata ad cibum sumendum accumbunt, secundum Iehovistam in foveam eum detrudunt et tum demum cibum capiunt; quae v. 23 traduntur de tunica manicata Iosepho erepta, in medio hic etiam relinquimus, quia ad utramque quadrant narrationem; tautologia vero dictionis Elohistam prodere videtur. Deinde v. 25. 26. 27. 28 a. optime inter se et cum sequentibus cohaerent, quae Elohista narrat: Iuda suasore Ismaëlitis venditur Iosephus, et in Aegyptum deductus non Potipharo, uti Iehovista vult, sed nobili cuidam Aegyptio, cuius nomen nescimus. Compilator quidem sic scribit cap. 39, 1: Iosephus in Aegyptum deductus est, וַיִּקְנֵהוּ פּוֹטִיפַר סְרִיס פַּרְעֹה שַׂר הַטַּבָּחִים אִישׁ מִצְרִי מִיַּד הַיִּשְׁמְעֵאלִים אֲשֶׁר הוֹרִידֻהוּ שָׁמָּה, et emit eum *Potiphar*, *eunuchus Pharaonis*, *praefectus praetorio*, *vir quidam aegyptius* e manu Ismaëlitarum, qui eo eum deduxerant. E verbis quae signavimus sola אִישׁ מִצְרִי genuina Elohistae esse videntur, praesertim cum per totum caput nusquam *Potiphar*, saepissime vero dominus Iosephi anonymus commemoretur; et procul dubio compilator verba *Potiphar*, *Eunuchus Pharaonis*, *praefectus praetorio* huc traxit e verbis Iehovistae, cap. 37, 36, ubi statim dicendum fuisset, Potipharum fuisse *Aegyptium*, non *peregrinum*, si cuiquam praeter compilatorem discordia coniungentem in mentem venire potuisset, ut hoc disertis verbis narraret. Sed Iehovista solus novit Potipharum tanquam Iosephi *dominum* (cap. 37, 36), cui hic non ab Ismaëlitis sed a Midianitis venditur. Recte quidem monent interpretes, Midianitas cum Ismaëlitis eiusdem esse nationis et haec nomina interdum inter se commutari, cuius rei praeclarissimum est exemplum Iudic. 8, 22. 24. 26. At in capitis nostri v. 28 verba: וַיַּעַבְרוּ אֲנָשִׁים מִדְיָנִים סֹחֲרִים luculenter loquuntur de re prorsus nova, cum tamen v. 25 fere eodem modo iam narratum sit de Ismaëlitis: וַיִּרְאוּ וְהִנֵּה אֹרְחַת

יִשְׁמְעֵאלִים בָּאָה מִגִּלְעָד, ita ut nos quidem nobis persuadere non possimus, utrumque hunc locum ab eodem auctore originario esse profectum. Ideoque non dubitabamus Midianitis hoc tribuere, ut ipsi, clam fratribus Iosephi, hunc e fovea extraherent et iuvenem formosum tanquam praedam exoptatam secum ducerent servum; quare infra cap. 40, 15 apud Iehovistam non dicit Iosephus: fratres me vendiderunt servum huc deducendum, sed גֻּנֹּב גֻּנַּבְתִּי מֵאֶרֶץ הָעִבְרִים furto raptus sum e terra Hebraeorum. Sic etiam facile intelligitur dolor Rubeni ad foveam redeuntis puerumque ad patrem reducturi, eum vero non invenientis et putantis, inermem a fera quadam esse discerptum. Si autem Rubeno praesente fratres Iosephum vendidissent, quomodo tandem in fovea eum quaerere potuisset? Apud Elohistam, qui non Rubenum sed Iudam facit oratorem, mirum non est, quod Rubenus silet, cum Iosephus venderetur: Elohista enim nihil novit de consilio Rubeni puerum ad fratrem reducturi (cf. Iehovistam v. 22); Iuda vero tantum vim fratrum iratorum a Iosepho prohibendam (v. 21) et vitam eius servandam (v. 25) censuerat, servitutis ipse est suasor. Haec omnia, in commentariis nostris uberius explicanda, monstrant, narrationem hanc e duabus traditionibus compositam, si unam unius auctoris originarii putares, permultis laborare difficultatibus, singulas vero a se invicem secretas satis sibi constare. Utrumque hoc in sequentibus capitibus, ubi modo haec modo illa traditio continuatur, luculentius etiam videbimus.

§. 39.

Iudae cum Thamare nuru stuprum.

Sectio 50.

Genes. XXXVIII, 1—30. אֱלֹהִים. Compilatorem libri sui chronologiam turbasse et aliis nonnullis locis contradixisse, cum hoc fragmentum hic collocaret, in com-

mentariis nostris fusius erit demonstrandum. Ad disquisitionem nostram tantum pertinet, quod Elohista huius capitis se prodit auctorem, quia morem illum antiquum viduarum, post mortem mariti leviro suo (h. e. mariti fratri) nubentium, temporibus demum exilii (cf. Deut. 25, 5 sqq.) lege stabilitum, temporibus Iacobi tradit, quasi iam tum lege fuisset cautum, ne quis hunc morem laederet. Narrat enim poëta, Iudam Thamarem filio suo natu maximo uxorem dedisse, deinde, post primum mortuum, filio secundo; quo etiam mortuo patrem, timentem ne tertius quoque moreretur, Thamarem iussisse domum patris abire viduamque manere, dum tertius filius eam ducere posset (v. 1—11). En studium Elohistae, seriorum temporum instituta antiquissimis tradendi (cf. §. 3, 2.). Thamar deinde, sic pergit Elohista, cum videret, se viduam relinqui, cuperetque orbitatis ignominiam a se averti, socerum sub meretricis specie fefellit, ut secum rem haberet; et voti compos facta ad poenam stupri effugiendam eum fecit certiorem, ab illo se esse gravidam, qua re comperta Iuda dixit (v. 26): Illa me iustior est; filium enim meum Sela non cum ea locavi. E Thamare denique nascuntur gemelli, Perez et Serah, unde colligimus, Elohistam vel ipsum librum Ruth vel traditionem saltem ibi (Ruth. 4, 18—21) narratam habuisse cognitam, de Davide a Perezo oriundo, et capitis nostri mythum tradidisse, ut Iudam, tanti regis proavum, celebraret, quod cum favore, quo Elohista alias Iudam prosequitur (§. 37), bene cohaeret: nullo modo enim Iudae facinus tamquam incestum vituperat.

§. 40.

Iosephus, Aegyptii divitis servus, favore domini per herae calumnias privatur.

Sectio 51.

Genes. XXXIX, 1—23. אלהים. Nomina Dei hic nihil valent ad auctorem cognoscendum: legimus enim

יהוה v. 2. 3. 5. אלהים v. 9. יהוה v. 21. 23. Sed tautologia per totum caput, praesertim v. 2-6. v. 12. 13. v. 20-23, Elohistam prodit auctorem qualem semper cognovimus nimiae verborum copiae fautorem. De comm. 1 per compilatorem adulterato iam supra (§. 38) diximus; addi etiam potest, quod statim v. 2 legimus: et erat Iosephus *in domo heri sui, Aegyptii* (בְּבֵית אֲדֹנָיו הַמִּצְרִי), ita ut genuina redeat Elohistae vox, qua Iosephi dominum etiam v. 1 significaverat et postea significat v. 3. 4. 5. 7. 8. 16. 19. Quae vero narrantur haec sunt: Iosephus, Aegyptii divitis servus, ita propitium habuit Iehovam, ut quidquid tractaret id ei prospere caderet (v. 1-3); quod cum herus animadvertisset, domui suae eum praefecit, nihil, cum Iosephum haberet, curans (v. 4-6). Uxor autem Aegyptii, amore iuvenis formosissimi incensa, frustra ad concubitum eum sollicitavit, et nihil etiam effecit, cum solum eum nacta esset, sed pallio ille in manibus feminae relicto aufugit (v. 7-12). Tum vero mulier iuvenem falso incusat apud dominum, quasi vim sibi inferre voluerit, atque efficit, ut a domino in carcerem coniiciatur (v. 13—20). Haec ibi sunt verba auctoris, v. 20: *Dominus Iosephi* sumsit eum et tradidit in carcerem (בֵּית הַסֹּהַר), locum, ubi captivi regis vinculis tenebantur; et erat ibi in carcere. v. 21. Iehova vero cum Iosepho erat gratiamque ei conciliavit et favorem *magistri carceris* (שַׂר בֵּית הַסֹּהַר) ei dedit; v. 22. et magister carceris Iosepho tradidit omnes captivos, qui in carcere tenebantur, omniaque quae ibi fiebant per Iosephum facta sunt; v. 23: et magister carceris nihil respiciebat, quod ei tradiderat; nam Iehova cum eo erat, et quaecunque faciebat Iehova prosperabat. Fugere lectorem peritum nequit, hic iterari, quae supra v. 2—6 de Iosepho heroque eius dicta erant; sed non minus perspicuum est, ex sententia Elohistae Iosephum ab hero *alii cuidam*, quem auctor *magistrum carceris* vocat, traditum, et ab hoc simili fa-

vore esse habitum, quam antea ab hero. Huius autem magistri carceris Iosephus non est *servus* sed *captivus.* Quod cum animadverteret compilator, ansam sibi datam opinatus est ad utramque traditionem in unam narrationem coniungendam, uti mox videbimus.

§. 41.

Iosephus, somniorum sapiens interpres, e servo fit summus amicorum regis.

Capita duo, XL et XLI, arctissimo vinculo et inter se et cum Genes. 37 b cohaerentia hic coniungimus et Iehovistae tribuimus auctori. Nomen Dei quidem hic etiam pro criterio haberi nequit, cum cap. 40, 8 et cap. 41, 16. 25. 28. 32. 39. 52 legatur אֱלֹהִים; sed et somnia miraeque eorum explicationes Iehovistam monstrant auctorem (cf. §. 4, 2. §. 37. §. 38), et coniunctio, quae haec intercedit atque inter priora Iehovistae fragmenta; compilator autem dictioni, potissimum versus finem cap. 41, Elohista forsitan suasore, verborum aliquam copiam addidisse videtur.

Sectio 52.

Genes. XL, 1—23. יהוה. Duo quidam Pharaonis eunuchi, quorum alter praegustatorum, alter pistorum magister erat, in custodiam dati sunt iussu regis, irati propter eorum quoddam facinus in se patratum (v. 1. 2); tradidit vero eos *in carcerem*, *domum praefecti praetorio* (v. 3: וַיִּתֵּן אֹתָם בְּמִשְׁמַר בֵּית שַׂר הַטַּבָּחִים) in carcerem, locum, in quo Iosephus erat captivus (אֶל־בֵּית־הַסֹּהַר מְקוֹם אֲשֶׁר יוֹסֵף אָסוּר שָׁם). Priora illa quae signavimus huius commatis verba *Iehovistae* genuina esse putamus, cui quidem Iosephi mentio non erat facienda, quia iam supra, cap. 37, 36, loco cum nostro coniungendo, dixerat: Iosephum a Midianitis venditum esse Potipharo, eunucho Pharaonis, *praefecto praetorio* (שַׂר הַטַּבָּחִים). Ex sententia igitur Iehovistae Iosephus est

eius *servus*, non *captivus* praefecti praetorio, uti infra etiam, cap. 41, 12, praegustatorum magistrum de Iosepho disserentem introducit et haec dicentem: Erat ibi nobiscum *iuvenis quidam hebraeus*, *servus praefecti praetorio* (נַעַר עִבְרִי עֶבֶד לְשַׂר הַטַּבָּחִים). Compilator vero, hanc traditionem Iehovistae cum praecedente Elohistae coniuncturus, secundum quam Iosephus ab hero, Aegyptio nobili, in vincula erat traditus apud magistrum carceris (שַׂר בֵּית הַסֹּהַר), id efficere vult, ut *magister carceris* Elohistae putetur idem esse vir, qui Iehovistae *praefectus praetorio*, ideoque addit hic v. 3 verba prorsus supervacanea; in carcerem (בֵּית הַסֹּהַר), locum, in quo Iosephus erat captivus. Idem compilator hoc commentum iam praestruxisse videtur supra, cap. 39, 20, hic verbis: מְקוֹם אֲשֶׁר אֲסִירֵי הַמֶּלֶךְ אֲסוּרִים, *locum, ubi captivi regis tenebantur in vinculis*, cum videret, huiusmodi locum apud Iehovistam esse domum praefecti praetorio. Infra etiam ad verba Iosephi, cap. 40, 15, furto raptus sum e terra Hebraeorum, quae ad Iehovistae narrationem (cap. 37, b) optime quadrant, compilator callide magis quam vere addit haec: neque hic etiam quidquam feci, cur in carcerem (בַּבּוֹר) me committerent; quamquam ex Iehovistae sententia Iosephus posteriora haec dicere non posset, cum non esset captivus, sed *servus* tantum praefecti praetorio, in cuius domo captivi regii servabantur, quibus herus eum ministrum addiderat. — — — *Heus tu, quorsum nos abripis, somniorum intrepide inventor!* dicent fortasse lectores, quibus mira haec atque absona primo obtutu videbuntur. At, re accuratius examinata, iudicatote quaeso, utrum hae hypotheses sibi respondeant an secum pugnent. In rebus huiuscemodi diiudicandis, ubi omnibus omnium generum testimoniis externis quae dicunt destituimur, nos hypothesibus carere non posse, et in tali re aliquid esse audendum, non nego; neque tamen prius a sententia mea recedere potero, quam quis mihi monstraverit viam, qua

facilius rectiusve res possit explicari, quam impeditissimam esse, ante me omnes interpretes viderunt. — — Nunc vero ad poëtam nostrum redeamus, qui pergit haec narrans: Iosephus duobus illis captivis minister additus post aliquot tempus utrumque videt tristiorem, quaerit quid habeant, comperit, utrumque per somnium, cuius interpretationem nesciant, excruciari (v. 4—7). Iuvenis modeste quidem Deo tribuit somniorum interpretationem, somniis vero auditis sic utrumque interpretatur, ut vere res postea evenit: praegustatorum magistro narrat, fore ut post tres dies a rege eo quem antea possederat honore iterum ornetur, rogatque ut sui tum memor sit seque liberet a servitute (v. 8 — 14); pistorum magistro narrat, fore ut post tres dies Pharaonis iussu in crucem agatur (v. 16—18). Quod cum utrumque factum esset, praegustatorum magister tamen diu Iosephi obliviscitur, dum per rem, ab eodem Iehovista in capite sequente narratam, memoria iuvenis fatidici ei in mentem revocatur.

Sectio 53.

Genes. XLI, 1 - 57. יהוה. Omnes enim, quibus de sectione 52 ab Iehovista repetenda persuaserimus, hanc eiusdem auctoris esse facile dabunt, cum non tantum eodem modo miras proferat e somniis vaticinationes (cf. §. 4, 2), sed cum praecedente etiam quam arctissime cohaereat. Narrantur vero haec: Secundo anno post praegustatorum magistrum e vinculis liberatum Pharao rex sibi visus est Nilo adstare, et modo septem vaccas formosas pinguesque, postea vero totidem deformes, corpore tenues, modo septem spicas plenas, postea vero totidem exiles et uredine exesas conspicere (v. 1 — 8). Quibus somniis rex perterritus interpretes eorum inter sapientes atque hariolos suos frustra quaerit; praegustator vero ille narrat, Iosephum sibi et pistorum magistro in vinculis somnia recte esse interpretatum (v. 9— 13), iuvenem, uti iam supra (sect. 52) diximus, disertis

verbis (v. 12) praefecti praetorio servum nominans. Pharao statim Iosephum acciri iubet, qui somnia narrata de septem annis fertilibus primo et totidem annis fertilitate carentibus deinde venturis explicat, simulque suadet, quid ad mala avertenda sit faciendum (v. 14—36). Pharao censet, Iosephum ipsum optime omnia quae fieri opus sint curaturum, summum eum nominat potentiae suae ministrum et uxorem ei dat nobilem, ex qua ille postea filios suscipit Manassen et Ephraimum. Iosephus denique per septem illos annos fertiles magnam copiam frumenti comportandam curat, ut postea inopiam possit levare (v. 37—56). Hac in re narranda Iehovista denuo auctorem se prodit, non modo copiam frumenti mirum in modum exaggerando, sed etiam verba adhibendo, quibus supra saepius usus est, ubi praedictiones narravit Iehovae de Abrahami posteris in infinitum augendis (cf. §. 4, 3), verba dico haec v. 49 capitis nostri: Frumentum vero comportavit Iosephus arenae marinae instar (כְּחוֹל הַיָּם), maximam copiam, usque dum finem faceret (modios) numerandi; numerari enim non potuit (כִּי אֵין מִסְפָּר). Haec omnia monstrant, compilatorem eosdem quos antea sequitur hic habuisse auctores originarios.

§. 42.

Iosephi fratres primum in Aegyptum proficiscuntur, frumentum emturi.

Sectio 54.

Genes. XLII, 1—38. יהוה. Etiam hoc caput non immerito Iehovistae tribui satis luculenter apparebit, si poetam audiverimus narrantem. Iacobus certior factus de frumento in Aegypto omnibus populis vendito, decem filios suos eo mittit emtum, Beniamino solo, ne quid puero in itinere accideret, apud se retento (v. 1—4). Illi deinde Iosephum adeunt, submisse ut frumentum

sibi vendatur rogantes. Quibus conspectis atque cognitis, Iosephus memor erat *somniorum suorum* (v. 9) — quae supra, cap. 37 b Iehovista narravit — de imperio in fratres accipiendo, veritusque, ne forte fratrem suum germanum Beniaminum simili modo, quo se, in perniciem dederint, fingit, se exploratores eos habere, et postulat, ut unum ex suo numero domum remittant ad Beniaminum arcessendum (v. 5—17). Tertio die post e carcere quo eos incluserat dimissos, unum tanquam pignus relinqui, ceteros ad Beniaminum deducendum in Palaestinam redire iubet. Tum alius alii dicit (v. 21): Sane, sceleratos nos praebuimus in fratrem nostrum (Iosephum), cuius cum animi angorem videremus, cum misericordiam nostram imploraret (nobis in foveam illam eum detrudentibus), tamen non exaudivimus; eam ob causam nunc in has redacti sumus angustias. Rubenus vero (v. 22) iis respondit his verbis: Nonne vobis dixi: nolite scelus committere in puerum! vos vero non audivistis; sed nunc *necis eius poenae* (דָּמוֹ) a nobis expetuntur. Haec verba monstrant Iehovistam auctorem, et quia Rubenus denuo personam oratoris hic tuetur (cf. supra §. 37) et quia sensus verborum referendus est ad Genes. 37, b, ubi Rubenus (cap. 37, 29. 30) Iosepho in fovea non invento timet, ne iuvenis inermis vel a fera aliqua sit discerptus vel a fratribus clam interemtus, et semet ipsum accusat suasorem Iosephi in foveam detrudendi. Hic obscure fratres caedis clam se patratae incusare videtur. Deinde pergit poëta: Iosephus, quamquam quae dicerent intelligeret, Simeonem retinendum in conspectu eorum vinculis oneravit; clam fratribus vero ministros suos iussit non modo frumento vasa eorum implere, sed pecuniam insuper cuique in vas suum reponere viaticaque illis dare (v. 23—25). De hac etiam pecunia compilator duplicem tradidit narrationem, quae non minus ac reliquae a duobus auctoribus videtur repetenda; hic igitur de hac re, omnibus locis ubi

mentio fit comparatis, iudicium nostrum expediemus, ut postea lectorem huc remittere possimus. Haec legimus v. 27 capitis nostri: (Fratres Iosephi domum redeuntes) cum in *deversorium* venissent et unus ex iis saccum aperuisset, ut pabulum asino suo daret, animadvertit argentum in ore sacci (v. 28) dixitque fratribus suis: Rediit pecunia mea; ecce in ore sacci mei est! Tum pavore perculsi trepidus alii alius dixit: Cur tandem Deus hoc nobis fecit! (מַה־זֹּאת עָשָׂה אֱלֹהִים לָנוּ). Bene hoc consentit cum narratione Iehovistae eiusque indole: conscientia enim male in fratrem facti perculsi (cf. supra v. 21 sqq.) putant, Deum per miraculum hanc pecuniam sibi reddidisse, ut in malum aliquod per hanc incurrerent, qua re superstitio simul Iehovistae proditur (cf. supra §. 4, 2). Deinde cum iter continuassent atque ad patrem reduces quaecunque sibi evenerint narrassent, (v. 29—34) repente compilator colloquium interrumpit, v. 35 his verbis ante patris responsum, perquam inepte, iniectis: In deplendis saccis cum suo quisque in sacco argentum suum in loculis reperissent, et filii et pater metu perculsi sunt. Metuunt, ne quis Iosephi dolus hic lateat, et cum minime verisimile sit, si unus iam in itinere argentum invenisset, ceteros vasa sua non aperuisse, neque, uti ille fecit, asinis suis pabulum praebuisse (v. 27), hic alia quaedam traditio esse videtur, et Elohistae quidem, quia a traditione Iehovistae est diversa. Confirmatur haec sententia capite 43, quod, cum capite 44 coniunctum, totum est Elohistae. Cap. 43, 12 enim haec legimus verba Iacobi: Argentum autem duplum vobiscum auferte, et quod in ore saccorum vestrorum relatum est, si forte imprudentia est peccatum (אוּלַי מִשְׁגֶּה הוּא). Non cogitat Iacobus de miraculo divino, uti cap. 42, 28 filii, sed mavult sumere, aliquem e servis Iosephi in reddenda pecunia imprudentem peccasse, quam dolum Iosephi huic rei subesse, uti supra, cap. 42, 35 et uti postea cap. 43, 18 fratres, ab oeconomo domum

Iosephi deducti timent, ne propter argentum quod invenerint servi retineantur. Porro cap. 43, 21 fratres quidem dicunt oeconomo: Cum *in deversorium* devenissemus et saccos aperuissemus, ecce! argentum *cuiusvis* (כֶּסֶף אִישׁ) in ore sacci eius erat, *argentum nostrum secundum* pondus suum, illud vero nobiscum retulimus. Tautologia notata prodit Elohistam auctorem, cuius reliquum est caput, ad verba etiam Iehovistae cap. 42, 27. 28 non quadrat, quod *quilibet* argentum suum in deversorio invenisse narratur; igitur putandum est, compilatorem verba וַיְהִי כִּי בָאנוּ אֶל־הַמָּלוֹן vel addidisse vel secundum cap. 42, 27 mutasse, quo melius diversas has traditiones in unam cogeret. Superest denique locus cap. 44, 8, ubi haec leguntur: Argentum quod in ore saccorum nostrorum repereramus ad te retulimus e terra Canaanaea, neque tamen ex his quidquam colligi potest, quia etiam argentum in itinere inventum et in patriam ablatum se inde in Aegyptum reportasse dicere potuerunt. — Sed haec hactenus; nunc ad narrationem relictam redeuntibus ultima tria capitis 42 commata tantum supersunt, huius argumenti: Iacobus verbis filiorum auditis respondet (v. 36): Vos me orbum redigitis; Iosephus abiit, de Simeone actum est, et vos Beniaminum abducitis; haec omnia in me incumbunt. Tum (v. 37) Rubenus: Duos filios meos, inquit, interficito, nisi eum ad te reduxero: committe eum in meam fidem; ego eum reducam. Iacobus vero (v. 38) negat, se permissurum, ut Beniaminus cum iis abeat, cum iam germanus eius sit mortuus (כִּי אָחִיו מֵת). Non minus ratione habita capitis subsequentis notatu est dignissimum, quod *Rubenus* hic pro Beniamino salvo reducendo fidem suam despondet, quam testimonio est, haec ultima etiam capitis nostri verba Iehovistae deberi.

§. 43.

Iosephus, fratribus redeuntibus mitior, iterum tamen eos incusat; Iuda se fratresque defendit.

In capitibus Genes. 43 et 44, quae hic coniungimus, quia inter se ita cohaerent ut unam tantum narrationem efficiant, si singula quaeris, unde origo eorum diiudicari possit, non desunt prorsus huiusmodi criteria Elohistae auctoris. Nolimus huc trahere, quod cap. 43, 23 et 44, 16 Deus nominatur אלהים; sed maioris putamus momenti, quod Iacobus cap. 43, 6. 8. 11 vocatur יִשְׂרָאֵל (cf. supra §. 3, 6. c) et quod cap. 43, 14 legimus אֵל שַׁדַּי (cf. §. 3, 4); plura autem et quae multo graviora dicere non dubitamus, narrationis ipsius perscrutatio exhibebit.

Sectio 55.

Genes. XLIII, 1—34. אלהים. Etiam Elohistam de primo itinere filiorum Iacobi in Aegyptum narrasse, uti supra (§. 37) in schemate nostro de historia Iosephi delineando suspicati eramus, hic e principio narrationis, qua compilator hunc auctorem sequitur, elucet; haec enim legimus v. 2: Postquam cibum ex Aegypto allatum consumserant, pater iterum filios hortatus est, ut ad mercandum aliquantum commeatus eo reverterentur. Sed respondit Iuda (v. 3): Vir ille (Iosephus) adfirmavit, nos in conspectum eius non venturos, nisi frater (Beniaminus) esset nobiscum. Eadem Iosephi verba iterat Iuda v. 5; neque tamen in capite praecedente, ubi Iehovista colloquium Iosephi cum fratribus narrat, haec legimus; sed tantum iubet eos domum reverti fratremque Beniaminum arcessere, ut ipse Iosephus veraces eos cognoscat (cap. 42, 16 sqq.), et sic etiam ibi (cap. 42, 33 sqq.) patri narraverant. Addit deinde Iuda v. 7: a Iosepho se esse interrogatos, num fratrem haberent, num pater esset in vivis. Etiam haec apud Iehovistam cap. 42 frustra quaeruntur. Accedit denique, quod hic

Iuda, ut apud Elohistam solet (cf. supra §. 37), munus oratoris suscipit; unde recte colligimus, haec omnia ab auctore narrari, qui diversus sit a scriptore capitis 42, hic igitur legi Elohistae traditionem. Confirmatur haec sententia per verba Iudae, cupientis patri persuadere, ut Beniaminum sibi tradat in Aegyptum deducendum, et haec dicentis, v. 9: Ego pro eo fidem meam despondeo (אָנֹכִי אֶעֶרְבֶנּוּ), a me tu eum repetito; nisi eum ad te reduxero et in tuo conspectu constituero, tibi per vitam omnem culpae reus ero. Iisdem fere verbis apud Iehovistam cap. 42, 37 *Rubenus* pro Beniamino reducendo fidem suam despondet; maximopere igitur de hac re dissentiunt duo nostri auctores. Iacobus his Iudae promissis victus, veniam illis dat Beniaminum deducendi, imperat ut dona secum sumant Iosepho tradenda duplicemque pecuniae summam (cf. nos §. 42 ad Genes. 43, 12) et v. 14 his denique verbis finem facit dicendi; Deus omnipotens efficiat, ut vir ille misericordia in vos moveatur, et ut reddat vobis *fratrem illum alterum* et Beniaminum. Nulla a Iuda Simeonis apud Iosephum captivi mentio supra facta erat, nec poterat, quia omnia alia narraverat quam Iehovista in cap. 42, qui solus scire videtur de Simeone; unde tandem hic obscura illa Simeonis, quem Elohista contemtui habet (cf. Genes. 34, 25 sqq.) indigitatio? Haec verba: אֶת־אֲחִיכֶם אַחֵר *fratrem illum alterum*, quae cum reliquis minime conveniunt, per compilatorem ex suo ingenio addita esse putamus, quibus cap. 42 cum nostro coniungeret, praesertim cum sensus aptissimus prodeat, si legimus: וְשִׁלַּח לָכֶם אֶת־בִּנְיָמִין *ut reddat vobis Beniaminum*, h. e. neque secum eum retineat, quem tantopere cupit videre. Compilatori quidem verbis illis insertis duae nostrae traditiones in unam coalescere videri potuerunt, scilicet multa alia, quae inter utrumque intersunt, parum curan — Fratres deinde in Aegyptum profecti Iosephum adeunt, ab hoc post visum Beniaminum benigne ad

prandium invitantur, cum oeconomo de pecunia reportata agunt (v. 25, cf. §. 42). Iosephus dona eorum comiter accipit, Beniamino fausta precatur, et loca discumbentium secundum aetatem eorum disponens admirationem virorum movet (v. 26—34).

Sectio 56.

Genes. *XLIV*, 1—34. אלהים. Si modo evicimus, caput antecedens Elohistae deberi, de hoc eodem modo facile monstrare poterimus; cum illo enim permultis vinculis iisque arctissimis est coniunctum. Iosephus post prandium oeconomo suo imperat, ut pecuniam cuique fratrum in saccis reponat poculumque suum argenteum natu minimo addat (v. 1. 2). Quo facto fratribusque dimissis postero mane Iosephus oeconomum mittit, qui ex itinere eos retrahat, quod ille uti iussus erat perficit et cum viris per furti insimulationem magno terrore perculsis in urbem revertitur (v. 3—14). Notatu haud est indignum, quod Iuda denuo tanquam fratrum princeps nominatur (cf. §. 37) his verbis v. 14: Iuda et fratres eius domum Iosephi redierunt, cett. Post Iosephi de furto obiurgationem Iuda etiam, negans se Beniaminum solum relicturum (v. 15—17), se fratresque defendere conatur (v. 18—34). Hic Iuda fere eadem dicit, quae supra (sect. 55) in capite 43 a narratione Iehovistae discrepantia monstravimus, v. 19—23 (cf. cap. 43, 3—7) de colloquio, quod Iosephus cum fratribus habuerit, cum primo ad eum venissent; v. 32 de iureiurando, quod ipse Iuda (cap. 43, 9) pro Beniamino reducendo ad patrem fidem desponderit; nihil denique omittit orator, quo Iosephi misericordiam moveat, praesertim dolorem patris pingens Beniaminum desideraturi. Quantopere haec omnia Iosephum moverint, idem noster Elohista narrat in capite subsequente.

§. 44.

Iosephus fratribus se aperit, annuente Pharaone omnes ad se invitat suos.

Sectio 57.

Genes. XLV, 1—28. אלהים. Tum Iosephus prae tam multis, qui circa eum steterunt, continere se non potuit, altaque voce pronunciavit, ut omnes foras emitterentur, nec quisquam cum eo remansit, cum est a fratribus agnitus. Sic v. 1 incipit compilator, ut illico videamus, eum hic etiam sequi Elohistam et secundum hunc narrare de Iosepho, per orationem illam Iudae cap. 44, 18—34 vehementer commoto. Iosephus porro fratribus, iam fletu eius perturbatis, bis dicit, se Iosephum esse, his verbis (v. 4) additis: Ego sum Iosephus, quem vos in Aegyptum *vendidistis*, — quibus verbis satis perspicue remittimur ad narrationem Elohistae, quam supra cap. 37a legimus (cf. §. 38). Pergit vero Iosephus (v. 8) pio in Deum animo facinus a fratribus in se commissum excusans (cf. apud Iehovistam 40, 8. 41, 16. 42, 18) iubetque eos ad patrem reverti eumque cum omnibus suis invitare ad domicilium in regione Gosen capiendum; denique post Beniaminum reliquos singulos perosculatur (v. 9—15). Elohistae indolem per dictionis nimiam copiam et tautologiam iam haec pars capitis nostri monstrat; multo magis autem quae sequitur, ubi Pharao, de fratrum Iosephi adventu certior factus, optima quaeque ac splendidissima iis promittit, si cum omnibus liberis, servis, pecoribus ceterisque opibus ad se venire velint, e. g. v. 18: Optima terrae aegyptiacae vobis dabo: medullam terrae vobis praebebo edendam; v. 20. Nolite desiderare suppellectilem vestram; nam optima quaeque huius terrae vestra erunt. Iosephus deinde fratres cum donis, quae patri dari vult, dimittit; sed Iacobus verbis eorum non antea fidem habere potest, quam currus conspicit ad se vehen-

dum a Iosepho missos. Hic etiam (v. 28) uti apud Elohistam fieri solet, Iacobus nomine יִשְׂרָאֵל ornatur.

§. 45.

Iacobus cum omnibus suis, qui nominatim enumerantur, in Aegyptum proficiscitur.

Sectio 58.

Genes. *XLVI*, 1—27. אֱלֹהִים. Deus Iacobo cum suis in Aegyptum proficiscenti apparet ad Beer-Sebam, promittitque denuo verbis apud Elohistam solitis (cf. §. 3, 5), se numerosam progeniem ei daturum, et praedictionem de Israëlitis in terram Canaanaeam reducendis pronunciat verbis, ab illis prorsus diversis, quibus Iehovista (cap. 15, 13) Iehovam fere eadem Abrahamo fecerat promittentem. Argumenta si quaeris hoc fragmentum Elohistae tradendi, provocamus ad tautologiam et verborum copiam, quibus totum abundat, ad nomen יִשְׂרָאֵל, quod v. 1. 2. 5. legitur, et ad verba Dei, v. 3: Ego sum Deus, Deus patris tui (אָנֹכִי הָאֵל אֱלֹהֵי אָבִיךָ), ubi Iehovista procul dubio scripsisset: אָנֹכִי יְהוָה אֱלֹהֵי אָבִיךָ. Bene denique tenendum est, quod v. 6ʻ disertis verbis dicitur: Sumserunt omnia pecora omnesque opes, quas in terra Canaanaea comparaverant, et venerunt in Aegyptum, Iacobus et omnis eius progenies; (v. 7) filios et filios filiorum, filias et filias filiarum, suam denique stirpem universam in Aegyptum deduxit. Haec enim verba non modo monstrant, narrationem de itinere Iacobi apud Elohistam hic esse finitam, et huic loco statim subiungendum esse Genes. 47, 27—31, quod ab nostro fragmento compilator immerito disiunxit; sed compilatori etiam praebent ansam ad genealogiam Iacobidarum (v. 8—27) inserendam, quam sicut alias libri nostri genealogias (cf. supra §. 11 ad Genes. 10) eo magis Elohistae auctori tribuendam censemus, quo magis commata, quae non mera continent nomina propria,

hic etiam tautologia excellunt (cf. v. 20. 26. 27); accedit etiam quod v. 8 legimus יִשְׂרָאֵל. De huius genealogiae perversitate atque difficultatibus chronologicis in commentario nostro dicetur.

§. 46.

Iosephus patrem fratresque ad Pharaonem introducit.

Sectio 59.

Genes. *XLVI*, 28 — *XLVII*, 12. יהוה. Compilator ut hanc sectionem, quam a Iehovista est mutuatus, cum praecedentibus coniungeret, in primis commatibus (v. 28—30) Elohistae modum narrandi videtur imitatus esse: non modo enim bis hic legimus nomen יִשְׂרָאֵל, quod hoc unico loco excepto apud Elohistam solum reperitur (cf. supra §. 3, 6. c), sed *Iudam* etiam, non Rubenum, praemissum, qui patris adventum nuntiaret, quamquam alias Elohista solus Iudae faveat (cf. §. 37 et §. 38 ad Genes. 37, 21, ubi Ruben pro Iuda). Reliqua vero, ut cum Iehovistae indole bene conveniunt, ita cum Elohistae narrationibus praecedentibus aperte pugnant. Iosephus enim dicit v. 31: Ibo nuntiatum Pharaoni, fratres meos familiamque paternam e terra Canaanaea ad me venisse, et cap. 47, 1 vere nuntiat Pharaoni, patrem patrisque familiam in finibus terrae aegyptiacae, h. e. in provincia Gosen esse. Deinde Iosephus, cap. 46, 33. 34 quid velit eos ad Pharaonem adductos dicere, sedulo fratres instruit, et postea (cap. 47, 3 sqq.) Pharao cum eos interrogasset, qualem victum colerent, certior factus, eos rem pecuariam exercere, Iosepho (ibid. v. 6) veniam dedit, ut ex illis magistros pecoris regii eligeret, si viri essent probi. Haec omnia minime conveniunt cum narrationibus Elohistae, Genes. 45, 16 sqq., ubi Pharao ipse Iacobum cum familia eius invitat et splendidissima quaeque iis promittit, ut supra §. 44 monuimus; hic vero, apud Iehovistam, Pharao neque

adventum Iacobidarum antea exspectasse, neque tam benignum, uti Elohista vult, in eos se praebuisse videtur. Si deinde legimus cap. 47, 11: Iosephus igitur patri fratribusque domicilia dedit et possessiones in terra Aegypti, in optima huius terrae parte, in regione *Raamses*, ubi Pharao imperaverat, haec verba si genuina putamus Iehovistae, aliud etiam inde sequitur discrimen, quod inter hunc et Elohistam intercedit. Consentiunt enim in re ipsa, in eo scilicet, quod Iacobo et familiae eius domicilia data sint in finibus Aegypti; alter vero, Elohista, cap. 45, 10 huic regioni nomen tribuit provinciae, voce גֹּשֶׁן usus; alter, Iehovista, regionem designat nomine urbis huius regionis primariae, voce רַעְמְסֵס adhibita, cap. 47, 11, partem pro toto nominans. Similiter igitur hac in re differunt auctores, uti supra cap. 37, a et b in usu nominum propriorum מְדָנִים et יִשְׁמְעֵאלִים (cf. supra §. 38). Quae cum ita sint, cumque tam multae conveniant rationes, propter quas hanc sectionem Iehovistae tribuere et ab Elohistae narrationibus discernere licebit, alia nonnulla, quae dubium movere possint, v. c. cap. 47, 5: Pharao dixit Iosepho: En, pater tuus et fratres tui ad te venerunt; (v. 6) patet tibi aegyptia terra; eos tu in optima eius parte colloca; habitent in regione Gosen, *cett.*; deinde cap. 46, 34, ubi Iosephus fratres dicere iubet, se pecorum esse pastores, ut in regione Gosen habitare possint; denique cap. 47, 4 ubi fratres a Pharaone veniam rogant, in regione Gosen habitandi, — partim cum narratione Iehovistae optime conciliari, partim tribui poterunt compilatoris studio id efficiendi, ut utraque traditio per verborum similitudinem in unam quasi narrationem coalescat, quae omnia in commentariis accuratius explicabimus. Hic enim satis habemus monstrasse, quid inter utrumque auctorem praecipue intersit; ut vero singula cuique verba sua dividamus et non audemus et a proposito alienum putamus.

§. 47.

Iosephus omnes Aegyptios Pharaoni servos emit.

Sectio 60.

Genes. XLVII, 13—26. יהוה. Iosephus Aegyptiis fame laborantibus frumentum vendens omnem eorum pecuniam in Pharaonis fiscum congerit (v. 13. 14); deinde pro pecoribus frumentum illis vendit, et omnibus denique opibus eorum absumtis, homines ipsos et agros eorum Pharaoni emit pro frumento, quo vitam eorum sustentat, ita ut postea modo huc modo illuc per omnem terram aegyptiam eos deducere et in urbibus collocare possit, quintas proventuum simul Pharaoni dandas illis imperans omnibus, sacerdotibus solis exceptis (v. 15—25). Hanc narrationem Iehovistae tribuentes nullam sequimur rationem aliam praeter analogiam argumenti, quam hoc fragmento cum alio illo Iehovistae, cap. 41, quod etiam de rebus Aegypti narrat, comparato animadvertere licet, neque multa habemus quae contra dicamus, si cui haec ratio parum valida visa fuerit.

§. 48.

Iacobus Iosepho imperat de se humando, et nepotes inter filios suos adoptat.

Sectio 61.

Genes. XLVII, 27—31. אלהים. Prima iam verba, v. 27: Israëlitae habitabant (וַיֵּשֶׁב יִשְׂרָאֵל) in terra Aegypti, in regione Gosen, et possessione ibi capta aucti atque multiplicati sunt maximopere (וַיִּפְרוּ וַיִּרְבּוּ מְאֹד), non modo in mentem nobis revocant locum cap. 46, 6. 7, quocum cohaerent, sed duplici etiam modo Elohistam testantur auctorem, per vocem יִשְׂרָאֵל, quae hic Iacobi filios nepotesque significat, et per voces וַיִּפְרוּ וַיִּרְבּוּ (cf. supra §. 3, 4 et §. 3, 6. c). Narrat deinde Elohista, Iacobum a Iosepho petiisse, ut se mortuum non in Aegypto sepeliret, sed in sepulcro patrum suorum, in terra Canaa-

naea; qua re ad sepulcrum respicit per Abrahamum comparatum, de quo Elohista narravit Genes. 23, 1—20 (cf. supra §. 24 et Genes. 25, 9 sqq. 35, 29. 49, 31), ita ut novum hoc testimonium putari possit pro hoc fragmento ab Elohista repetendo.

Sectio 62.

Genes. XLVIII, 1—22. אֱלֹהִים. Quamquam disquisitionem, utrum hoc fragmentum unam tantum unius auctoris an varias variorum contineat traditiones, commentariis enucleandam relinquimus, hic tamen nostrum putamus monstrare, omnia hic reperta Elohistae deberi. Singula si spectas, non modo v. 3 legitur אֵל שַׁדַּי, sed per totum etiam caput quam saepissime יִשְׂרָאֵל, v. 2. 3. 10. 11. 13. 14. 20. 21; alia multa prodibunt, si poëtam narrantem audiverimus. Iosephus certior factus de patris morbo, cum filiis suis Ephraimo et Manasse senem adit, qui his verbis filium alloquitur (v. 3): Deus omnipotens mihi apparuit in regione Lus in terra Canaanaea et fausta mihi promisit his verbis (v. 4): Fetificabo te et augebo et efficiam, ut magna evadas populorum caterva, et hanc terram tibi posterisque tuis dabo, ut in perpetuum eam possideatis. Respicere nos iubet Elohista ad narrationem suam Genes. 35, 9 sqq., ubi Deum facit eadem fere verba in loco Beth-El (qui est Lus) Iacobo dicentem; cf. etiam supra §. 3, 5, ubi reliqua laudavimus Elohistae loca, quae eadem exhibent verba. Eiusdem capitis 35 comm. 16 sqq. indigitat senex, hic v. 7 de Rachelis morte dicens (cf. supra §. 35, sect. 45), propter cuius amorem Iosephi filios adoptare videtur. Pueris deinde ad senem adductis (v. 8—14) post colloquium de iis cum Iosepho habitum Iacobus benedicit, numerosissimam iis optans progeniem (v. 15. 16), et a Iosepho admonitus, ne dextram imponat capiti natu minoris, Ephraimi, sinistram capiti natu maioris, Manasses, negat se aliter facturum, quia Ephraimus aliquando futurus sit populus fraterno maior (v. 17—19); additque haec poëta, v. 20: Sic illis fausta

precatus est, dicens: Tuo nomine apud Israëlitas bene dicetur, his verbis: Deus te similem reddat Ephraimo et Manassi! — et Ephraimum hoc modo anteposuit Manassi. Hoc enim dicere vult auctor: Iacobum iam ita rem instituisse atque benedictione quasi iussisse, ut Ephraimus et Manasses duae evaderent stirpes Israëlitarum, e quibus quidem ephraimitica maior fieret atque regium imperium adipisceretur, quod consilium auctoris eum luculenter prodit Elohistam, instituta temporum seriorum iam antiquissimis tribuentem (cf. supra §. 3, 2).

§. 49.

Iacobus filius suis moribundus fausta precatur et moritur.

Etiam in capite 49 cuius secundum argumentum duas faciemus sectiones diiudicando non possumus quin alia prorsus sentiamus, ac tres illi quos saepe nominavimus interpretes. Astruc et Eichhorn in eo consentiunt, quod v. 1—28 a Iehovista, v. 29—33 ab Elohista repetenda putant; Ilgen vero totum caput inter duos suos Elohistas dividit, partem aliquam commatis primi et v. 29—33 Elohistae primo, reliqua secundo tribuens.

Sectio 63.

Genes. XLIX, 1—27. אֱלֹהִים. Haec omnia verba benedictionis paternae optime inter se cohaerent, exceptis tantum quae v. 18 leguntur: Auxilium tuum exspecto, Iehova! quaeque glossae antiquissimae forsitan a compilatore ipso additae speciem habent. Dictio huius poëmatis quia poëtica est, comparari alias cum sermone Elohistae prosaico nequit, nisi quod v. 2. 7. 16. 24 etiam legimus יִשְׂרָאֵל, et quod nonnumquam tautologia, non ubique parallelismo poëtico tribuenda, nos offendit (cf. 24. 25). Neque tamen desunt vestigia eius indolis, qua Elohistam saepius insignem vidimus, praesertim odii in Rubenum, Simeonem et Levium, et amoris in Iudam: v. 4 enim disertis verbis respicere nos iubet auctor ad commentum suum de Rubeno, rem habente cum Bilha, uxore Iacobi

(cf. Genes. 35, 22): haec dicens: Non excelles, quia patris tui cubile conscendisti, quo conscendendo lectum meum polluisti. Deinde v. 5 et 7 de Simeone et Levio Iacobum haec facit dicentem: Simeon et Levi veri sunt fratres; tela crudelitatis sunt gladii eorum. Detestanda est ira eorum tam vehemens, et furor eorum, qui acerbissimus est. Haud obscure haec indigitant narrationem Elohistae cap. 34, 25 sqq. de Simeone et Levio, Sichemitas inermes interimentibus. Iudam porro, quem ubique in historia Iosephi (cf. §. 37) Elohista fratrum fecerat principem, hic v. 8—12 summis extollit laudibus, neque minus praeclara dicet v. 22—26 de Iosephi posteris, quibus fausta quaeque precantem avum modo (cap. 48) nobis monstraverat.

Sectio 64.

Genes. XLIX, 28—33. אלהים. Post haec verba modo tradita, quibus filiis suis singulatim fausta erat precatus, Iacobus iis imperavit (v. 29. 30), ut se defunctum in sepulcro illo sepelirent, quod Abrahamus prope Hebronem emerit, simul addens (v. 31), ibi non modo Abrahamum antea esse sepultum et Saram, Isaacum et Rebeccam, sed a se etiam Leam. Quod cum efatus esset, exspiravit. Quomodo secundum hoc de sepultura mandatum coniungendum sit cum priore illo, quod Elohista eodem auctore, cap. 47, 29. 30 Iacobus Iosepho soli dederat, in commentariis erit videndum; nemo tamen est, qui negare possit, in hoc nostro loco mentionem sepulcri Abrahami factam ad omnia illa respicere loca Elohistae, ubi de eodem supra sermo erat, loca dico Genes. 23, 7 sqq. 25, 9 sqq. 35, 29, quae res testatur, nostrum etiam locum Elohistae deberi.

§. 50.

Iacobi sepultura; Iosephi senectus et mors.

Totum hoc caput 50, cuius quas hic comprehendimus traditiones, Astruc ab Elohista repeti iubet; Eichhorn

etiam Elohistae tradit v. 12. 13. 15—26, reliqua vero Iehovistae; sed ILGEN v. 12. 13. 22 et partem aliquam commatis 26 Elohistae primo, quae supersunt Elohistae secundo tribuit.

Sectio 65.

Genes. L, 1—14. אלהים. Recte monuerunt interpretes, duplicem hic haberi de sepultura Iacobi traditionem; utramque vero, quales nunc sunt, ab Elohista esse repetendam, facile putamus demonstratu. Praecipua et maior ex qua incipit compilator narratio cum modo narratis vinculo arctissimo coniuncta esse videtur. Post verba enim capitis praecedentis postrema: Cumque Iacobus haec omnia filiis suis imperasset, pedibus in lectum contractis exspiravit et ad suos concessit, quae aperte Elohistae indolem produnt (cf. similia apud Elohistam cap. 25, 8 et 35, 29) — hic v. 1 et 2 haec sequuntur: Tum Iosephus in patris faciem illapsus et eum cum fletu osculatus, servis suis, quos medicos habebat, praecepit, ut eum condirent. Porro, post dies conditurae et luctus peractos, Iosephus (v. 5) his verbis a Pharaone veniam rogat proficiscendi ut patrem sepeliat: Pater meus iureiurando me obstrinxit his verbis: En iam moriturus sum; sepelio me in sepulcro meo, quod mihi fodi in terra Canaanæa! Ibo igitur et patrem sepeliam et postea redibo. Hic respici videtur ad locum Genes. 47, 29—31, ubi Iacobus vere Iosephum iureiurando obstringit, ut in terra Canaanaea, in sepulcro patrum se sepeliat; de sepulcro quidem a Iacobo fosso nil ibi legitur, sed hic haec verba indigitare possint commentum illud Elohistae cap. 33, 19. 20 de agro per Iacobum prope urbem Sichem comparato. Quod si vero non agnoscere non possimus, simul repugnare videtur coniunctioni fragmenti nostri cum secundo illo iusso, quod de sepultura sua cap. 49, 29 sqq. Iacobus non Iosepho soli sed omnibus filiis dedisse narratur. Deinde, post veniam a Pharaone impetratam, multis verbis, uti Elo-

hista solet, narrat auctor, Iosephum cum Aegyptiis multis, et fratres, in regione *Gosen* habitantes, (v. 8, cf. quae supra §. 46 de usu huius nominis apud Elohistam diximus) cum omnibus servis esse profectos ad Iacobum sepeliendum (v. 6—11) et post sepulturam perfectam in Aegyptum rediisse. At subito compilator v. 12. 13 haec inserit verba: Et fecerunt ei filii eius (h. e. Iacobi, de quo tamen antea sermo non fuerat) sicuti facere eos iusserat, et deduxerunt eum filii eius in terram Canaanaeam et sepeliverunt eum in spelunca agri Machpelae, quam Abrahamus emerat simul cum agro ad sepulcrum sibi proprium, ab Ephrone Chithita, e regione Mamres orientali. Haec quamquam ceteris contraria et nihil tradentia de conditura, nihil de luctu, nihil de Aegyptiis comitantibus, luculenter tamen respiciunt ad verba cap. 49, 29—33 et non minus quam haec Elohistae prae se ferunt indolem. Quae cum ita sint perturbata, neque tamen propter haec sola Elohistam duplicem sumere placeat, quo nusquam alias per omnem Genesin egemus, non inepta videtur quam hic primi audemus hypothesis, haec scilicet: *compilatorem* ipsum ad exemplum superiorum ex Elohista traditorum (cap. 23, 7 sqq. cap. 25, 9) effinxisse atque addidisse non modo verba cap. 49, 29—32. sed etiam haec cap. 50, 12. 13, ut quam luculentissime monstraret, Iacobum in sepulcro Abrahami esse conditum. Quod si cui displicet, sumat necesse est, duplicem de sepultura Iacobi narrationem ab Elohista ipso traditam et a compilatore minus apte alteram cum altera esse coniunctam.

Sectio 66.

Genes. L, 15—26. אלהים. Filii Iacobi, a patre sepeliendo reduces, per legatos Iosephum rogant, ut sibi ignoscat quod in eum commiserint, et postea ipsi supplices ad eum accedunt (v. 15—18). Iosephus vero haec (v. 19—21) iis respondet: Nolite timere; nonne ego etiam Deo sum obnoxius? Deus vero, quod vos malo

in me animo cogitaveratis, id convertit in bonum, ut, quemadmodum res ipsa ostendit, tot homines conservaret. Quare nolite timere: ego vos vestrasque familias alam! Haec verba ad literam fere referunt ea, quae supra apud Elohistam Iosephus fratribus dixit, postquam se illis detexerat, quaeque patri iussit nuntiari (cf. Genes. 45, 5 et 11), et in memoriam nobis revocant fratres secundum Elohistae narrationem (cap. 37, a) Iosephum vendentes (cf. §. 38). Ideoque praeter coniunctionem, quae inter hoc fragmentum et proximum intercedit, testimonium etiam ferre videntur de Elohista auctore. Quae supersunt de Iosepho sene et moriente non tantum non contradicunt origini ab Elohista derivandae, sed si singulas phrases respicimus, aliquam etiam aliorum locorum Elohistae referunt similitudinem. Sic verba v. 19: הֲתַחַת אֱלֹהִים אָנִי etiam legimus Genes. 30, 2; et verbis v. 23: וְגַם בְּנֵי מָכִיר בֶּן־מְנַשֶּׁה יֻלְּדוּ עַל־בִּרְכֵּי יוֹסֵף similia Genes. 30, 3; denique v. 25 Iosephus fratres suos, qui ibi pro more Elohistae בְּנֵי יִשְׂרָאֵל vocantur, iureiurando obstringit, ut aliquando in terram Canaanaeam reduces, corpus suum, in terra patria humandum, eo deducant, uti supra Genes. 47, 31 Iacobus iusiurandum similis argumenti a Iosepho flagitaverat.

INDEX.

E R R A T A.

Pag. 45. lin. 4. l. cubuisse
— 62. lin. 9. l. urbi
— 63. lin. 5. l. exiisset
— 73. lin. 1. l. quoddam
— 94. lin. 13. l. eius
— 102. lin. 5. l. aliquod.